SACRORUM CARMINUM

DELECTUS

SACRORUM CARMINUM

DELECTUS IN USUM

GYMNASII PISAURENSIS

curante

JOSEPHO IGNATIO MONTANARIO

POLITIORUM LITTERARUM DOCTORE

VOLUMEN TERTIUM.

PISAURI

EX TYPOGRAPHEO NOBILIANO

facta Praesidum facultate

MDCCCXXXIV.

PSALMORUM.

LIBER II.

EX JOANNE CASA.

PSALMUS CIII.

BENEDIC ANIMA MEA ATC.

Dei rerum omnium opificis sapientiam, providentiam et potestatem commendat, et ad illi gratias agendas se se maximopere excitat.

Plaude Anime Domino, quam Tua est, Deus meus
 Evecta in altum gloria!
Laudem et decorem indutus, et clarissimo es,
 Ut veste, amictus, lumine.
Tu extendis, ut tentorium caeli plagas;
 Aquisque summa ejus tegis.
Tu nube, ceu curru, uteris. Tu praepetes
 Inambulas ventos super.
Mentes solutas, igne radiantes choros
 Tibi administros comparas.
Tu brutam humum firmissimas super bases
 In tempus aeternum locas,
Hanc vastus humor, tamquam amictus, obtegit.
 Insederint iugis aquae;
Si tu increpes, refugerint, vocis tuae
 Tonitruo perterritae
Montes supini, concavae valles, eo
 Quem statuis haeserunt loco.

Tu terminos immobiles figis mari
    Ne fluctibus terram obruat.
Tu emittis in convallibus fontes vagos
    Media inter ima montium.
Huc se se agrestes conferunt, potum ferae:
    Sitim hinc Onagri temperant.
Aeriae aves in editis agunt locis.
    Per saxa, qua rivi strepunt.
Superne montes irrigas. Opera tua,
    Tellus repletur ubere.
Faenum pecoribus, multiplex herbae genus
    Obsequium ad humanum, creas
Frumenta terra educis, et mortalia
    Quod corda vinum mulceat.
Et ora olivum laeta reddens unguine,
    Ut panis intus roborat.
Alis alta campis robora, et Libani arduas
    Quas ipse sevisti cedros
Passerculi illic nidulantur: et vagae
    Abies domus ciconiae est.
Dant tuta cervis lustra montes editi.
    Cuniculis cavi specus.
Dirimenda lunam tu creasti ad tempora:
    Sol novit occasum suum.
Tenebras parasti, unde extitit nox confragas
    Qua permeant silvas ferae,
Scymni leonum in praedam hiantes ut suam
    Sibi a Deo escam quaeritent.
Orto vicissim sole, turmatim sua
    Conduntur in cubilia.
Tum vero ad artes, atque culturam soli
    Homines diurnam prodeunt.
Quanta opera Domine sunt tua! omnia affabre.
    Plena opibus est tellus tuis.
Magnum hoc mare, immensisque tractibus patens
    Vi piscium innumera scatet:
Insunt pusilla animantia insunt grandia;
    Illac carinae permeant.
Inusitata vastitate belluam
    Finxisti ut illic luderet.

Haec cuncta ab uno te expetunt, suo sibi
Ut tempore escam praebeas.
Te dante capiunt: Te manum ditem tuam
Laxante, complentur bonis.
Vultum tuum si avertis, haerent; spiritum
Si iis adimis, in cinerem fluunt.
Afflante rursum spiritu existent tua;
Faciemque renovabis soli.
Domini perennet gloria: ipse fabrica
Se Dominus oblectet sua.
Labefacta cuius Terra conspectu tremit,
Montesque tacti fumigant.
Cantabo Domino vitam in omnem; quandiu
Fuero Deo psallam meo.
Oratio illi grata sit quaeso mea.
Dominus meum sit gaudium.
Tollantur e terra impii, ut ne sint quidem.
At tu anime Domino plaudito.

PSALMUS I.

BEATUS VIR QUI NON ABIIT ETC.

INTERPRETE ANTONIO FLAMINIO.

Docet pios, ac legum divinarum studiosos, et amantes, beatos existere, contraque omnes improbos et Dei contemptores miseros esse.

Beatus ille, qui nec audit impios
    Nec perseverat improbus
Peccare, nec laetatur irrisoribus
    Se pessimis adjungere
Sed mente pura diligit leges Dei!
    Illasque semper cogitat,
Seu nox sopore amabili, seu lumine
    Sol candido terram irrigat.
Qualis perennes orta propter rivulos
    Arbor feraces ramulos
Ornat quotannis fructum laetissima
    Pulcherrimorum copia,
Suumque honorem servat omni tempore
    Densis amicta frondibus;
Talis piorum est vita, talis omnium
    Colentium leges Dei.
Hi quicquid unquam molientur, exitus
    Illo favente prosperos
Habebit, haud sic improbi, sed pulverem
    Ut turbo late desjicit,

Sic jactat illos impetus libidinum,
Nulloque consistunt loco.
Ergo supremi judicis cum venerint
Tribunal ad justissimum,
Causa cadentes, a bonorum candida
Turba procul, miserrimi
Trudentur ima in tartara, quoniam Deus
Mores, piorum diligit,
At turpiter qui vitam agit, cruciatibus
Hunc sempiternis efficit.

PSALMUS XI.

SALVUM ME FAC DEUS ETC.

Queritur de moribus saeculi sui depravatis, Deo supplicat pro salute piorum, qui ab improbis vexantur, ipsum Deum inducit loquentem, et opem suam pollicentem.

Benigne coelitum Pater serva obsecro,
Opemque fer, paucissimi
Nam sunt, quibus confidere, ac possim meam
Tuto salutem credere.
Mendacio jam pulsa turpi veritas
Recessit alma ab urbibus,
Fidesque sanctusque pudor, et soror illius
Sinceritas amabilis.
Quod si quis unquam blandiatur et omnia
Loquatur ore dulcia,
Tu vero ab illo tibi potissimum cave.
Te lingua blanda ab improbo
Avellat ore praepotens rerum Deus,
Tu, magna qui semper loqui
Gaudes, eum iratum, tuaeque vindicem
Linguae protervae sentias,

Tu qui furore percitus, lingua mea
    Opes mihi, et potentiam,
Dicis, parabo, liberum os gero, et geram
    Semper; quis imperat mihi?
At haec nefandus dum nefaria evomit.
    Coelestium rex maximus
Orationis impiae superbia
    Commotus, exurgo jam, ait,
Exurgo, jamque opem salutarem affero
    Benignus afflictis, mihi,
Qui vexat illos, impius poenas dabit.
    Sincera verba numinis,
Auroque puriora sunt purissimo,
    Quod igne saepe, ac saepius
Purgavit artifex monile regio
    Sponso laborans nobile.
Tu gente nos ab impia rex optime
    Servabis, et clementiae
Scuto tuae firmissimo tela hostium
    Longe repelles omnia,
Tuti vagantur improbi, et bonis malam
    Pestem, dolosque comparant:
Contaminata mente cum vir urbibus,
    Servire dignus, imperat.

PSALMUS XII.

USQUEQUO DOMINE OBLIVISCERIS ETC.

Vir sanctus, magnis, ac diuturnis calamitatibus vexatus vicem suam miseratur, et auxilium Dei queribundus implorat.

Quousque Domine linquor in tantis malis?
    O columen, et salus mea
Quousque pergis esse non memor mei?
    Dic, oro, quandiu dies,
Noctesque lacrymis madebo, et anxius
    Deliberando distrahar?

Quousque supplicem tuae claementiae
Crudelis hostis opprimet?
Aures tuae satis diu Pater a meis
Abhorruere questibus;
Satis, superque vultus aversus tuus
Omnem mihi lucem abstulit,
Jam, quaeso, jam candore luminis sacri
Meas tenebras dissipa
Ne forte durus mortis obrepat sopor,
Dum nulla donatur quies,
Ne, quaeso, ne amplius in mala insultans mea
Triumphet hostis gaudio,
Sed quamquam ab omnibus misera salus mea
Proiecta sit mortalibus,
Bonam tamen spem non ego abjiciam tuae
Nitens opis fiducia.
Pater beate maximas tibi gratias
Ago, tuum qui supplicem
Tam dexter audis, et malorum fluctibus
Tantis benignus eripis.
Jam jam querelas flebiles, suspiria
Jam pono laetus tristia,
Et fonte quicquid carminis fluet meo,
Pater tibi omne consecro.

PSALMUS XLI.

QUEMADMODUM DESIDERAT CERVUS ETC.

Exponit in quanta sollicitudine, ac dolore esset cum Hierosolymis eiectus a Saule neque templum augustissimum cum reliquis civibus celebrare, neque sacrificiis solemnibus interesse posset

Ut cerva fontem anhela quaerit anxie,
Quam vis canum sagacium
Vexavit, urit arua dum sol igneus,
Sic te Pater dulcissime

Desiderat anima mea, cor meum tuam
Sic expetit praesentiam.
O si nivea lux illa fulgeat mihi
Cum liceat ad templum Dei
Adire, et hymnos numini augustissimo
Cum gente sancta dicere,
Noctes, diesque lacrymae tristissimae
Fuere pro cibo mihi,
Dum continenter sciscitantur impiae
Gentes, Deus meus ubi sit.
Cur ille, dicunt, exulem servum suum
Tantis relinquit in malis?
Jam fracta virtus ponderi succumberet
Rerum asperarum, nisi bona
Fulciret illam spes, et animum reficeret
Iucunda cogitatio,
Nimirum adhuc tempus fore, cum ad amabilem
Redibo laetus patriam.
Tunc me meorum multitudo civium
Immensa gratulantium
Templum Dei deducet ad sanctissimum.
Tunc civitas clamoribus
Faustissimis sonabit, omnia tinnulis
Late sonabunt plausibus
Ergo bona tibi tanta o anima mea a tuo
Promissa cum scias Deo,
Cur non dolori jam modum figis? mihi
Cur omne tollis gaudium?
Committe jam, committe presentissimo
Tuam salutem numini,
Nam liberati ab omnibus malis adhuc
Agemus illi gratias.
Haec saepe mecum colloquor, sed intimis
Resurgit in praecordiis
Quandoque tanta vis doloris anxii,
Vix ut queam resistere.
Quapropter ad tui memoriam nominis
Amabilem saepissime
Recurram unica spes mea, o lux, et salus,
Carumque solamen meum,

Dulcescet illa amaror omnis, et animo
Illa eluet curas meo.
Quamquam paterna sum fugatus a domo,
Vastasque solitudines
Iordanis, aviosque saltus Hermoni,
Inhospitalem et Mizarum
Exul peragro, rerum egenus omnium,
Nunquam tamen tui Pater
Non meminero, nunquam effluet animo meo
Dulcissimum nomen tuum.
Eheu dolorem urget dolor, neque ulla fit
Laboris intermissio!
Ut densus imber, visque saeva grandinis
Ingente glomerati agmine
Cum turbulento decidunt ex aethere,
Magnis et omne motibus
Coelum quatit tonitruum horrisonus fragor,
Sternuntur agri, sternitur
Seges virescens, rura plenis omnia
Natare fossis rusticus
Miratur, heu! tali Pater miserum agmine
Gravium malorum usque obruis.
Sed tu serena placidus intueberis
Me fronte tandem, et candida
Lux pellet horridas tenebras, interim
Manente nocte desinam
Laudes tibi nunquam canere, numen tuum
Nunquam precari desinam,
Dicam tibi flens, o salus, o lux mea
Cur tandiu immemor es mei?
Cur lacrimis, dolore, luctu maceror,
Dum vexat hostis barbarus?
In frusta corpus omne concidunt meum,
Et me miserrime enecant,
Dum continenter sciscitantur impie
Gentes, Deus meus ubi sit,
Cur tristis es anima? cur nunquam mihi
Per te licet quiescere?.
Committe jam, committe praesentissimo
Tuam salutem numini,
Nam liberati ab omnibus malis adhuc
Agemus illi gratias

PSALMUS CXII.

LAUDATE PUERI DOMINUM ETC.

Hortatur ad hymnos canendos Deo, praedicans ejus potentiam et providentiam misericordiae plenam.

Adeste castae virgines, pueri integri
 Adeste mecum laudibus
Efferte nomen numinis sanctissimi,
 Dum sol per horas aetheris
Cursu volubili rotabitur, diem
 Aegris ferens mortalibus
Minora dum micabit inter sidera
 Luna occidente jam die,
Ab Indo ad ultima Britanni littora
 Illustre sit nomen Dei.
Non universis ille tantum gentibus
 Sua imperat potentia,
Sed coelites, coelique supra maximum
 Se tollit altus verticem,
Hinc pater acuto cuncta lustrat lumine,
 Non stellifer quidquam polus,
Non alma quidquam terra continet, neque
 Pontus eam circumvagus,
Nil pandit aer liquidus, occultat nihil
 Crassa inferorum obscuritas,
Mortalis ullus denique nihil pectore
 Servat profundo conditum,
Quod ille rector maximus coelestium
 Non cernat omni tempore.
Ipse et potentes mente inani lucida
 Perambulantes sidera
Vindex ad imos usque trudit inferos,
 Et pauperes in infimo

Gradu jacentes principum in solio locat,
Sua benignus dextera,
Ipse et pudicam liberorum garrulo
Hilarat puellam examine,
Quae prole sine dulci diu in tristissimo
Maerore vitam traxerat.

PSALMUS CXIX.

AD DOMINUM CUM TRIBULARER ETC.

Queritur vir sanctus se patria pulsum inter homines improbos, et fraudolentos vitam agere.

Oppugnat hostis impius caput meum,
Measque fortunas, ego
Contra piarum me tegam scuto precum,
Nam vocibus dexter meis
Aures amicas admovet semper Deus,
Ut filio dulcis pater
A viperino dente, acerbo a vulnere
Oris dolosi Domine me
Me defende, saeva lingua ne vitam mihi
Suis venenis auferat.
Dolosa lingua quem tibi fructum feret?
Quid turpibus mendaciis
Lucrabere praeter odium Dei miser
Et omnium mortalium?
Qualis sagitta milite a fortissimo
Contorta; qualis ignea
Nutrita vis iuniperi olentis caudice,
Talis venenata impii
Lingua est. Miser, miser ego iam nimium diu
Cum gente vivo barbara.
Me pax iuvat, et mutui concordia
Amoris ardens ignibus,
At ista gens, de pace cum loquor, nihil
Crepat nisi necem, et sanguinem.

PSALMUS CXXII.

AD TE LEVAVI OCULOS MEOS ETC.

Homines pii ab impiis oppressi misericordiam Domini implorant.

Ad te, beatus qui beatus incolis
Oras nitentis aetheris,
Attollo lumina lacrimis manantia
Vitae meae spes unica,
Injuriosa verberatus ut manu
Manus heriles aspicit
Flens servus, implorans opem domini sui;
Ut serva servi dextera
Pulsata, dominae dexteram aspicit suae,
Sic te Pater sanctissime
Nos intuemur maxima fiducia,
Donec querelis tristibus
Aures benignas applicans adsis tuo
Nobis secundo numine.
Jam quaeso, jam tuere supplices tuos
Vultu sereno, ista quoniam
Abominata gens sua superbia
Nos enecat miserrime,
Miserrime nos enecat gens impia
Irrisione, et iurgiis.

PSALMUS CXXIII.

NISI QUIA DOMINUS ERAT ETC.

Gens sancta praesenti periculo liberata gratias agit Deo

Nisi nos benigni numinis
Tutela servasset, piae
Nunc dicat urbis incola,
Nisi nos benigni numinis
Tutela servasset, feri
Invaderent cum barbari,
Instar leonum hiantibus
Nos devorassent faucibus.
Cum gens veniret impia
Furens, minasque, et sanguinem
Spirans, malorum altissimo
Nos obruisset gurgite.
Torrens malorum maximus
Agros, et urbem, et omnia
Jam perdidisset funditus.
Supreme coelitum Pater
Te sempiternis laudibus
Servata tollet civitas,
Quam noluisti immanibus
Patere praedam belluis.
Ut implicata vinculo
Pudica turtur aucupis
Crudelis effugit manum.
Si forte laqueus frangitur,
Sic impiorum è dextera
Spem praeter ipsi evasimus.
In posterum anxius timor
Nostris facessat finibus,
Quando omnium rerum potens,
Terrae, polique conditor
Suo benigno numine
Nostrae saluti consulit.

PSALMUS CXXIV.

QUI CONFIDUNT IN DOMINO ETC.

Describit securitatem eorum, qui omnes suas spes collocant in Deo.

Quicumque vere spes suas locat in Deo,
  Immobilis semper manet
Sionis instar, nulla quem suo potest
  Mutare vis unquam loco.
Ut sancta vallo montium circumdata
  Est undecumque civitas,
Sic ipse rector coelitum dextro pios
  Vallabit usque numine,
Illosque nullis improborum viribus
  Premi diutius sinet,
Ne forte virtus fracta rebus asperis
  Deo recedat a suo.
Fac affluenter manet ad bonos tua
  Quaeso benignitas Pater,
At qui secutus impiorum pessima
  Consilia, deserit viam
Legum tuarum perditus, illum precor
  Ultrice puni dextera.
Utinam quies, et alma pax nostros agros
  Nostras et urbes incolat.

PSALMUS CXXV,

BEATI OMNES QUI TIMENT DOMINUM ETC.

Describit laetitiam gentis Hebreae è Babylone domum redeuntis.

Cum liberati barbarae gentis jugo
    Dulcem rediremus domum
Et somniare quisque, non vero frui
    Existimabat gaudio.
O quae voluptas, quanta nobis commoda
    Tuo favente numine
Tum contigere coelitum Rex maxime.
    Tum barbarus mirans ait,
En quanta pro salute gentis istius
    Pater Deorum conficit,
Et magna certe fecit, haud injuria
    Tanto exilimus gaudio,
Ut auster udus imbrium vim maximam
    Fundens jugisque collium
Nivem albicantium liquans suas super
    Ripas alit torrentia
Flumina, vagantur illa, lateque omnia
    Tenent, ita Pater optime
Fac, ut tuorum multitudo civium
    Plenis viis ad patriae
Dulces fluat agros, omniaqne passim occupet,
    Laetoque plausu repleat,
Vt glareoso tristis aruo semina
    Mandans colonus, uberem
Si forte messem percipit, gaudet magis,
    Quam cultor agri fertilis,

Sic nos per annos septies denos gravem
Et servitutem, et caetera
Passi mala omnia, cum lares amabilis
Reviseremus patriae,
Cunctis vicissim gaudiis incessimus,
Tuaeque Rex sanctissime
Benignitati gratias semper agimus;
Semperque habemus maximas.

PSALMUS XIV.

DOMINE QUIS HABITABIT, ETC.

INTERPRETE M. ANTONIO MURETO.

Docet, quem esse deceat eum, qui Dei tabernaculum, illiusque montem sanctum habitare cupiat.

Quisnam o Rex aeterne, tuam admittetur in aulam,
Cui dabitur montis culmen adire tui:
Perpetua ut tecum compostus pace fruatur,
Carpens nota unis gaudia coelitibus?
Qui nulla ingreditur macula suffusus, amatque
Ex animo rectum, justitiamque colit.
Cui neque cor fraudes agitat, neque subdola lingua est:
A quo se laesum dicere nemo potest,
Quem fugiunt injusti, et quo praesente liquescunt:
Quo viso, justis mens animusque redit.
Quem mutare fidem nunquam jactura coegit:
Foenore qui partas odit et horret opes.
Nullo unquam judex potuit qui munere vinci,
Ut duro insontes laederet ore reos.
Qui facit haec, is demum in coeli templa receptus.
Tecum una dempto fine beatus erit.

PSALMUS XLVI.

OMNES GENTES PLAUDITE, ETC.

Invitat populos ad laudandam Dei magnitudinem, et potentiam, cum in Jerusalemitarum cummunionem, et regnum, disjectis hostibus, fuerint cooptati.

O populi lato quoscunque alit ubere tellus,
Ingeminate alacres plausum, luctuque fugato,
Laeta triumphali resonent, facito, omnia cantu.
Ille etenim regum ter maximus, ille tremendus,
Quem sola terrarum, coeli quem templa verentur,
Subjecit nobis populos, fastuque represso,
Ferre jugum admota pedibus cervice coegit.
Ipsemet elegit clemens patrimonia, nobis
Quae daret, aeterno Isacidae succensus amore.
Euge Pater, Pater euge, tuum haec sunt omnia munus.
Ascendente Deo, litui sonuere, tubaeque:
Prodidit ipse novis sua gaudia vocibus aether.
Psallite nunc pia corda Deo: nunc psallite regi.
Psallite, qui terras omnes ditione coercet:
Et mulcete pias doctis concentibus aures.
Imperium sine fine Deus toto obtinet orbe,
Et sancto innixus solio regit omnia solus
Ductores populorum illius signa sequuntur.
Namque Abrahami alios longe Deus anteit omnes,
Scuta sua extulit ipse alte super ardua terra.

PSALMUS LI.

QUID GLORIARIS IN MALITIA, ETC.

Gloriabatur Doegus Idumaeus potentissimus pastorum Saulis de caede Achimelecchi, et octoginta quinque Sacerdotum, de excidio urbis Nobe, quod ille calumniis suis comparaverat, in illum proinde invehitur, eique supremum exitium, sibi vero perpetuam felicitatem auspicatur.

Quid gloriaris perfide, quid tumes?
An ista verum nescia proloqui
Te caeteros supra ferocem
Lingua bonis inimica redit?
Cura una et unum est id studium tibi.
Noctes diesque hanc, ut potes asperas
Novaculae in morem: et latentes
Insidias struit huic et illi.
Te laeta damnis improbitas juvat,
Egensque semper pluris iniquitas.
Tu foeda facta et fraudolenta
Usque novis cumulare gaudes.
Queiscumque verbis, o scelerum artifex,
Posse in ruinam praecipites agi
Confidis insontes amicos,
Illa tibi didicisse melli est,
Quapropter ultor, ne dubita, Deus
Tandem a merenti supplicium exiget:
Radicibusque evulsum ab imis
Sedibus ejiciet tuis te.
At haec videntes, artubus intimis
Justi intremiscent: et magis ac magis,

Ne provocent in se quoque iram
Numinis admoniti cavebunt.
Tu risus illis interea miser
Jocusque fies. En sibi qui Deum
Temnebat adjutorem : et in se
Sat sibi praesidii putabat.
Quid nunc, quid illum per scelera et dolos
Exstructa in altum divitiae juvant ?
In pulverem omnia et favillam
Et tenues abiere fumos.
Ego autem, in uno spem mihi qui Deo
Omnem locavi, liber agam metu:
Florens olivae instar nitentis,
Quam Domini studium tuetur.
Semperque regum maxime te canam :
Nec me sonoris deficiet tuum,
Plaudente justorum corona,
Carminibus celebrare nomen.

PSALMUS CXIV.

DILEXI QUONIAM, ETC.

Propheta a gravi periculo ope Dei ereptus illi gratias agit.

Summus amor Domini medio mi in pectore fervet,
Namque meas clemens audiit ille preces:
Excepitque meas facili bonus aure querelas.
Illum igitur fuerit dum mihi vita, colam.
Letiferi haerebam vinctus quasi fune doloris:
Nec procul a durae limine mortis eram.
Summe Deus, dixi, solo te vindice fretum
Eripiat tantis me tua dextra malis.

Ut bonus est, ut opem cito rite vocantibus adfert:
    Justus ut, nitidae simplicitatis amans?
Attritus prope eram, cum me consurgere jussit,
    Depulit et capiti cuncta pericla meo.
Quid trepidas anima? ad solitam te verte quietem.
    Plurima supremi munera regis habes.
Ille a morte animam hanc, a tristi lumina fletu,
    A lapsu infirmos eripuitque pedes.
Vivam igitur posthac illo duce et auspice tutus:
    Et mea semper erit cura placere Deo.

EX PETRO ROSSIO.

PSALMUS II.

QUARE FREMUERUNT GENTES ETC.

Regni sede, frementibus adversariis, Hireosolymis constituta, futuras Christi, ejusque Regni vexatione in suis adumbratas, ac deinde triumphos praedicit.

Quid incitatae tam trepido fremunt
Gentes tumultu? Quid populus ferox
Nil profuturis inquietum
Consiliis animum fatigat?
Duces coortis seditionibus
Reges steterunt, impia principes
Coetu coacto, concitarunt
Arma Deo, simul arma Regi.
Nunc arcta tempus rumpere vincula,
Clamant rebelles, servitii jugo
Nuuc colla subduxisse, duros
Ferre nec ulterius tyrannos.
Sed qui supremos arduus incolit
Caeli recessus, despiciet minas
Frustra tumentes, atque amaro
Excipiet fera coepta risu,
Iraque tandem vindice percitus
Voce intonabit turbidus horrida,
Vultuque dejectos minaci
Sternet humi furibundus hostes.

At me benignus vertice in arduo
Sancti Sionis Caelicolum Pater
    Regnare jussit, nec verendum
    Consilium patiar sileri.
Rex ille regum: Tu mihi filius:
Tu certa proles dixit; origine
    Tu prodis e nostra, per omne
    A me hodie generatus aevum.
Ergo voluntas quod tua fert, pete:
A me regendae jure tibi tuo
    Gentes dabuntur, quaque late
    Terra patet, tibi cedet orbis:
Hinc tu severa judicii premes
Virga protervos: dissilient tu
    Fracti sub ictu, ceu subacto
    Ficta luto, fragilisque testa.
Artem regendi vos modo discite,
Sceptrum potenti qui geritis manu,
    Justaque pallentes libratis
    Lance reos, dubiasque lites:
Late imperantis jussa facessite
Regis parentes; hunc, trepidos metus
    Non insolenti temperantes
    Laetitia, celebrate cantu.
Neu disciplinae poeniteat, bono
Quae vestra cultu pectora roboret,
    Divina ne vos ira pravo
    Praecipites sinat ire calle.
Jam tempus instat, cum furor ardeat
Poenas parati sumere Judicis:
    O ter beati tunc; in illo
    Qui solidam sibi spem locarunt!

PSALMUS XIII.

DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO ETC.

Deplorat humanae naturae vitia, ad quae sananda optat Redemptoris adventum.

Furore vecors, atque libidine
Stultus recessu mentis in intimo
Est dicere ausus: qui putatur,
Non Deus est, sed inane nomen.
Corrupta culpis gens hominum suis
Abominandis sordet in artibus:
Qui recta sectari laboret,
Vix aliquem reperire possis:
Caeli e suprema parte Deus plagas
Prospexit imas, provideat bona
Num vera quisquam, num bonorum
Quisquam aveat reperire fontem.
Recta sed omnes abripuit via
Insanus error; nullius utilis
Est vita, nulli cara virtus,
Prorsus amat benefacta nullus.
Qualis sepulcro pestifer halitus
Erumpit auras inficiens graves,
Sic faucibus teter scelestis
Prodit odor, vitiatque caelum.
Mendax, et astu fallere callida
Semper latentes lingua struit dolos,
Scatetque labris, quale serpens
Vipereo vomit ore, tabum.
Convicia eructantur, amarius
Et felle virus: quo vocat impia
Sitis cruoris, concitatos
Caedis amans rapit ira gressus.

Nil damna praeter, nil, nisi vastitas
Menti recursat, nullaque foedera,
    Pax nulla cordi; nec minantis
    Dira Dei timor ausa froenat.
Nunquamne discet justitiam, scelus
Per omne quisquis volvitur et bonos
    Sic dente consumit voraci
    Triticeae quasi crusta frugis?
Non ille suevit rebus in asperis
Vocare Numen: propterea timet,
    Vel nulla cum subsint pericla,
    Nilque sibi putat esse tutum.
Justis amicus semper adest Deus:
At vos egentum consilia, improbi
    Risistis, unum quod putarint
    Auxilio satis esse Numen.
Erit ne, felix fulgeat ut dies,
Qua cretus alma prodeat e Sion
    Dux Israelis, perditique
    Una salus populi futurus?
Cum vincla genti depulerit suae
Assertor ingens, gaudia mulceant
    Quantam Israelem, mox et omnes
    Isacii generis Nepotes!

PSALMUS XIV.

DOMINE QUIS HABITABIT ETC.

Qua via ad aeternam vitam perveniatur.

**Quis tuas felix, Deus alme, sedes
Incolet, summi penetrale caeli?
Quis Tibi sacri requiescet alto
                Vertice montis?
Integer vitae, scelerisque purus,
Omne qui pejus fugit angue crimen,
Quemque virtutis via recta nunquam
                Fallit euntem;**

Corde qui simplex sibi cuncta semper
Vera proponit, neque verba fictas
Nectit in fraudes, docuitque nunquam
Fallere linguam.
Ipse nec cuiquam nocuit, noceri
Nec fuit passsus; neque, si quis ore
Alterum mordax peteret dicaci,
Praebuit aurem.
Invidum sprevit, numeroque nullo
Duxit, at summi veneranda Regis
Jura servantem potiore dignum
Censet honore;
Qui sacramentum neque dixit unquam
Perfidum, nummos neque foeneravit,
Nec dato pactus fuit innocentem
Munere vitam.
Quisquis haec praestat, super astra tuta
Sede consistet, nec iniqua sortis
Jura, nec tarde venientis aevi
Damna tenebit.

PSAMUS XXVII.

AD TE, DONINE, CLAMABO ETC.

Justum hominem, ac Christum praesertim exprimit ab impiis vexatum, quorum ruinam praedicit, Deoque liberatori gratias agit.

Ad te clamores imo de pectore fusos
Attollam, surdo ne, mea vita, canam;
Ne taceas, meque abjicias oblitus, ut illos,
Quos mors lethaeis obruit atra vadis.
Vota libens audi; supplex tua numina posco,
Et tollo puras ad tua templa manus.
Ne me, quae meritos urget fortuna nocentes,
Ne me, quae sequitur crimina, poena premat.

Pacem illi simulant, pacataque verba profantur,
At mala sub tacito condita corde fovent.
At tu mercedem, quam promeruere, repente,
Et vice fac penses impia facta pari.
Exaequet sua poena nefas, et debita redde
Praemia, quaeque aliis damna dedere, ferant.
Illis laeva fuit mens, nec deprendere novit
Mira tot artificem testificata suum.
Te sciet ultorem; trahet impia turba ruinam,
Nullaque restituet, quae cecidere, dies.
Gratia magna Tibi. Questus, et vota precantis
Audiit: en laeto fulgurat ore Deus.
Ille mihi custos, opiferque; mihi omnis in illo
Spes stetit; auxilio venit et ille mihi.
Jamque mea antiquo revirescunt membra vigore,
Et redit in venas vita recepta meas.
Ergo illi grates tanto pro munere solvam,
Et laudes, animo verba movente, canam.
Nempe sui virtus populi est Deus ipse, salutis
Ipse auctor, regem protegit ipse suum.
Serva age, Sancte, tuos, fidam Tibi respice gentem,
Et rege, et aeterna prosperitate bea.

PSALMUS LXII.

DEUS DEUS MEUS, AD TE DE LUCE ETC.

Cum fugiens Absalonem lateret in deserto Idumaeae, seu verius Judaeae, deplorat exilium suum et desiderium praesefert videndi non tam terrenam patriam, quam caelestem, qua in re omnium justorum desideria exprimit.

Te primis vigilans mane novo, Deus,
Exquiro studiis, impatiens sitit
Te mens, imo etiam Te caro gestiens
Ambit, multiplici tacta cupidine.

Desertis profugus verset ut in locis,
Qua nulla est hominum trita solo via,
Nullus manat agris fons sitientibus,
Has inter latebras, lustraque inhospita,
Visus ante tuos tam prope constiti,
Quam si sancta tuae tecta colam domus;
Virtutemque tuam, quantum homini datur,
Vidi et conspicuam lumine gloriam,
Admirans animo; proin pietas tua,
Quae vita est potior, laudis erit seges
Nostrae, Te labiis rite canentibus.
Dum grato ethereae munere perfruar
Lucis, fausta Tibi deprecer omnia,
Et nomen memorans, atque iterans tuum,
Ad caelum geminas saepe feram manus.
Adjectisque utinam viribus auctior
Divino hic vigeat munere spiritus,
Ceu distenta adipe, ac pinguia plurimo,
Florent egregio corpora robore!
Solvens ora tuis tunc ego laudibus
Testabor memori gaudia carmine,
Si, cum fessa thoro membra reponerem,
Te nunquam immemori pectore depuli,
Cum primum roseum sol referet jubar;
Te semper recolam pectore sedulo,
O et praesidium, et dulce decus meum,
Pullis ut volucris mollibus incubat,
Illi laetitia gutture gestiunt,
Alis lene cubans, sic ego sub tuis
Vocali retegam gaudia gutture.
Post Te currere, Te prendere gestit
Mens desideriis icta fidelibus,
Suscepitque adeo me pietas tua
Dignata auxilio tendere dexteram.
Qui nostris avidi cladibus imminent,
Conatu hanc animam surripere irrito
Tentarunt: Erebi ad regna dolentia
Detrusi, gladiis triste minantibus
Tradentur, rabidis escaque vulpibus.
At rex dextro agitans gaudia Numine
Fulgebit domitis inclytus hostibus;

Tum quicumque bonum rite colunt Deum,
Et nomen pavidi ter venerabile
Jurant exanimos nil veriti Deos,
Tollentur meritis undique laudibus.
Tunc tristes hominum prava loquentium
Pallebunt facies, oraque garrula
Torpebunt, stupido pressa silentio.

PSALMUS LXIV.

TE DECET HYMNUS ETC.

Inducuntur Hieremias, et Ezechiel Prophetae, sive ipse populus Judaicus orans liberationem a captivitate, et reditum in Jerusalem, quibus figuris et liberationem generis humani a captivitate Daemonis, et infidelium conversionem ab Idolorum cultu, et hominis justi a miseriis vitae ereptionem designat.

Te decet festo celebrare cantu
In sacra excelsae, Deus, arce Sion,
Et tibi augusta Solymae sub aede
Solvere vota.
Has, precor, voces miseratus audi:
Omnis exemplo stimulata nostro
Gens tuas, qua qua patet orbis, aras,
Templaque adibit.
Jus datum late sceleri, nefasque
Fasque permistum luimus merentes:
Tu pius noxis, pariterque poenis
Solve precantes.
Ille ter felix, tua quem voluntas
Legit, ascitum numero tuorum,
Cui Tibi sacri celebrare detur
Atria templi!

Quanta nos illic bona, quae voluptas
Nos manet pleno potienda voto!
Quae redundantes opulenta rerum
Copia pascet!
Sanctitas circum tua templa vestit,
Hic nihil pravum; nihil hic iniquum;
Turba miratur, sacer et paventem
Concutit horror.
O salus nobis, Deus: una cunctis
Spes ad extremas ubicumque metas
Pertinet tellus, procul et refusum
Murmurat aequor,
Has preces audi: Tua magna virtus,
Quaque praecinctus graderis, potestas,
Firmat immotos, stabilitque vasto
Pondere montes.
Tu procellosi vada salsa ponti
Fluctibus misces, agitasque ventis,
Et cava undarum resonare pulsu
Littora mandas.
Si qua contristent tua signa caelum,
Pallidus gentes pavor occupabit,
Quotquot extremis habitant repostas
Finibus oras.
Sol ubi primo radiabit ortu,
Astra ubi dulcem referent soporem,
Tempora alterans peragrabit orbem,
Blanda voluptas.
Respicis terras, bibulasque glebas
Imbre perfundis, riguoque rore,
Fundit et largos opulenta cornu
Copia fructus.
Vitrei lympha trepidante campos
Alluunt amnes hominum daturos
In cibum fruges: ea firma rerum
Foedera sancis.
Qua levi rivus properat susurro,
Pura pubentes aqua lactat herbas;
Surgit hinc laetum, viget et salubri a-
spergine germen.

Orbis exacti revolutus anni
Per vices sentit tua dona certas?
Et tui foetu, gravidoque turgent
Ubere campi.
Quin et inculti speciosa vernat
Forma deserti, viret herba scabras
Nata per rupes, varioque rident
Gramine colles
Candido it pratis aries amictus
Vellere, hunc densae pecudes sequuntur;
Quae gregem supplent, geminosque lactant
Ubere foetus,
Ima frumenti gravidis aristis
Fluctuat vallis, Tibi cuncta festo
Personant plausu, Tibi cuncta dicunt
Carmine laudem.

PSALMUS CXX.

LEVAVI OCULOS MEOS IN MONTES ETC.

Consolatur Peregrinos ascendentes Jerusalem, sive intelligat Judaeos adhuc in captivitate degentes, sive justos ad caelestem patriam aspirantes, perpetuamque Dei custodiam promittit.

INDUCITUR PRIMO LOQUENS PEREGRINUS,
DEINDE PROPOHETA.

Pereg. Lumina in summos lacrymosa montes
Sustuli, sanctam speculatus urbem,
Unde tot nobis veniet malorum
Dulce levamen.
Namque opem duris feret Ille rebus,
Astra qui finxit, stabilemque terram.
Proph. Sic erit prorsus, Peregrine, vanos
Mitte timores.

Te per incertos regat Ille calles,
Haud tuos passus titubare gressus;
Nec, tibi semper vigilans, sopore
Lumina claudat;
Lumina haud claudet resoluta somno,
Qui sui servat genus Israelis,
Fessus et nunquam vigilem remittet
Pectore curam.
Te Deus servat, tua vita cordi,
Et salus illi est; latus ille dexter
Ad tuum incedit comes; et sequaci
Te tegit umbra;
Unde nec solis, medios per aestus,
Lampas ardentis faciem perurat,
Luna nec noctu caput insalubri
Frigore laedat.
Te Deus cunctis procul a periclis
Arcet, et casus utinam sinistros
Arceat semper, tibi tuta semper
Vita trahatur!
Seu pedes quoquam tuleris, referre
Inde seu gressus libeat, viarum
Haereat semper comes Ille eunti,
Seu redeunti.

PSALMUS CXLV.

LAUDA, ANIMA MEA, DOMINUM ETC.

Praedicit renovationem Hierusalem post Babyloniam captivitatem, suadens, nequis in hominibus spem ponat, sed in Deo.

Dic Deo laudes, anime: Ille totos
Est mihi vitae celebrandus annos;
Quamdiu hic degam, Dominum canoro
Pectine dicam.

Principum nullam fragili in favore
Spem, vel humanis opibus locetis:
Nulla mortali bene spes salutis
Creditur unquam.
Mors ubi nexus animae revellct,
Frigidus fient resoluta pulvis
Membra, tunc omnes fugient inani
Pectore curae.
Quem Deus Jacob regit, ille felix;
Ille, cui spes est Deus una caeli
Conditor, terraeque, marisque, et omni
Quicquid in orbe est,
Qui rata aeternum sua dicta servat,
Damna qui passos recreat, fovetque,
Qui fame fessos reficit parata
Providus esca,
Ipse captivis sua vincla solvit,
Dat diem coecis reducem tueri,
Erigit fractos, patriumque justis
Prestat amorem;
Advena est ipsi, profugusque curae,
Ipse pupilli, viduaeque duram
Suscipit causam, scelerumque pravas
Dissipat artes.
Ipse regnabit redeunte semper
Orbe saeclorum; tuus ille, Sion
Alma, regnabit Deus ad remotos
Usque nepotes.

ANTONII LACHII.

EX PSALMO IV.

CUM INVOCAREM, EXAUDIVIT ETC.

David Absalonis exagitatus perfidia a Deo, quem innocentiae suae vindicem appellat, auxilium exposcit, hortaturque adversarios suos, ut conceptam iram moderati excogitata scelera detestentur, seque libenti animo subjiciant ejus imperio, quem ipse Deus carissimum habet, atque amplissimo regis honore, ac nomine insignem fecit.

Multa vocantem me Dominus prece
Large benignis audiit auribus:
Me nempe praesens innocentum
Praesidium, rigidusque vindex
Me tu dolentem sollicitis, Deus,
In rebus almo numine recreas,
Laetumque reddis; deprecanti
Ipse mihi miseratus adsis.
Quid obstinata, durum hominum genus,
Quid mente; quaeso, volvis inania?
In me quid ultra fraudulentas
Immeritum meditaris artes?
Me terrae, et alti conditor aetheris,
Nosti, supremis nuper honoribus
Sacravit, idem, longa supplex
Quae faciam, rata vota reddet.

Irascere, aestus sed tamen asperos
  Surgentis irae sub tacito sinu
    Compesce solers, atque turpi
      Parce animum temerare noxa;
Nec non et, imo quae modo pectore
  Versas, profusis non sine lacrymis
    Delicta moerens per silentes
      Haud pudeat revocare sedes.
Rite expiatis hinc scelerum notis
  Fer grata summo munera Numini,
    Simulque certam praepotenti
      Spem Domino bene crede rerum;
Nec te malorum incredula moverit
  Cohors amaris ausa lacessere
    Me saepe dictis; pacta quisnam
      Praemia pro meritis rependat?
Divina vultus, summe Pater, tui
  Lux clara nostris insita mentibus
    Renidet; hac perfusus una
      Laetitia feror insolenti.
Hac et beatus nil moror invidus,
  Plenis quod hostes condita in horreis
    Frumenta servent, atque vastis
      Vina onerent, oleumque cellis.
Nempe ipse dulci perfruat otio
  Hac luce tutus; me nitidos, Deus,
    Sperare soles, spesque miris
      Illa modis jubet esse firmas.

EX PSALMO V.

VERBA MEA AURIBUS ETC.

Deum suppliciter exorat, ut vim, et furorem improborum hominum coerceat, et afflictas piorum res, ac prope jacentes recreet, atque sustentet.

O potens caeli moderator alti,
Jam meas leni, Deus, aure voces
Percipe, et moestas placidus quaerelas
Supplicis audi.
Tu bonus multis precibus rogantem
Respice, et fesso miseratus adsis,
Scilicet tu unus mihi rex, et unum
Tu mihi numen.
Mane cum primo nova lux eoo
Fulserit terris, tibi longa fundam
Vota, tu longis faveas benigno
Numine votis.
Mane ego dignas tibi laetus astem
Deferens laudes, vitiis iniquum
Te, Pater, norim, rigidaque culpas
Lege vetantem.
Improbus quisquis, sacra quisquis aequi
Jura perfregit, domibus sub iisdem
Vivet haud tecum, neque te resistet
Judice coram.
Foeda patrantem scelera execratus
Fervidis urges odiis, et idem,
Verba qui falsus dederit, corusco
Fulmine perdis.

Tu dolos verax, miserasque lenis
Oderis caedes. Tua me, per orbem
Multa quae late pietas refulget,
Certa tuetur.
Hac tuam fretus penetrare sedem
Audeam', et sacras trepidans ad aras
Te colam, et festo tua rite cantu
Nomina dicam.
Ipse, qua justus, mihi per viarum
Recta dux esto, dubiosque praesens,
Hostium ut vitem rabiem furentum,
Tu rege gressus.
Veritas fictis inimica labris
Impiae nunquam bene nota genti;
Scilicet pravo scelerata versat
Pectore fraudes.
Horret ut reclusum, avidumque bustum
Guttur, et blandas dare lingua voces
Perfidum suescit; Deus o, scelestam
Protere turbam.
Protere, et vanas animo movere
Sentiat curas, meritaque poena
Impiam vexes, tibi namque culpis
Asperat iram.
Certus at quisquis tibi novit uni
Fidere, et exultans animis beatos
Usque aget soles, eademque tecum
Tecta tenebit.
Exiget luces quoque te serenas
Auspice, et laeto sibi corde plaudet,
Qui tuum nomen colit, atque laude
Tollere gaudet.
Integrum vitae, scelerisque purum
Nempe tu ditas, cumulasque donis;
Nos bonus servas, clypeoque circum
Protegis ultro.

PSALMUS XVII.

DILIGAM TE, DOMINE, ETC.

David ope Dei profligatis hostibus, regnoque constituto placidissima pace fruens carmen hoc Euckaristcum cecinit.

Et te gratus amem, Deus o, mea maxima virtus
Praesidium, columenque meum, tutela, fidesque
Et custos, clypeusque, et spes mihi certa salutis.
Ipse ego, te quoties votis, praecibusque vocabo,
Auspice te sospes, qui me ferus urget ab hoste
Protinus eripiar. Me fata aspera circum
Saevis obsedere malis, gensque impia longo
Agmine, ceu rapidus montano flumine torrens,
Me super irruerat gelidum quo pene sepulchrum
Multa dolens subii, et laqueis lethalibus haesi.
At casus tantos inter, durosque labores
Ad Dominum supplex palmas cum voce tetendi.
Audiit ille bonus sanctae e penetralibus aedis
Orantem, et faciles admovit quaestibus aures.
Scilicet ob tristem indignati numinis iram
Territa contremuit tellus, omnisque repente
Ex imis rupes nutavit mota cavernis;
Nec non et piceus prorupit ad aethera fumus,
Ardentisque ex ore rapax simul abstitit ignis,
Quo pruna ingenti succensa recanduit aestu.
Jamque ille acclini sese demittit olympo,
Sub pedibusque premens atras caligine nubes,
Aligerumque humeris juvenum, turbaeque ministrae,
Innixus per inane volat, volat ocyor alis
Ventorum rapidis. Furvi latet aeris umbris
Obsitus, et pluviae tenebroso nubis amictu
Se circum obvelat, vultus sed tacta nitore

Nubila solvuntur, totoque ex aethere grando,
Horrentique ruunt late vaga fulmina flamma;
Nec non terribili coelum ciet omne fragore
Rex Superum, et liquidas sua vox emissa per auras
Insonat effusi qua densa grandine nimbi
Crebrius ingeminat, ruptisque e nubibus ignes.
Tum fera tela meos jaculatus disjicit hostes,
Terret et infensas duplicato fulgure mentes;
Haec inter scatebrae, rauco queis murmure labens
Effluit unda, patent, altosque e sedibus imis
Terra sinus aperit, vastis et hiatibus horret.
Usque adeo increpuit tua vox, Pater alme, tuusque
Circum magna fremens violentae spiritus aurae;
At Deus e coelo placidus me vidit, opemque
Attulit attonito, magnisque eduxit aquarum
Fluctibus, et validis metuendum viribus agmen
Prosternens, odiis, nimium quibus ante premebar,
Me bonus eripuit, miseraque a morte recepit.
Namque mihi infestis fera turba potentius armis
Ingruerat, curisque agerer cum durius aegris,
Ausa est incautum turpi praevertere fraude;
Verum me Dominus rebus tutatus in arctis
Per latum deduxit iter, libuitque quieta,
Nam sibi gratus eram, tandem me sistere terra.
Ille mihi, quod recta sequor, metuoque probrosis
Criminibus scelerare manus, quae debita, justus
Dona dabit; quo me ire jubet, vestigia calle
Nunquam deflexi, nec iniquis impius ausis
Illius laesi sanctum, et venerabile numen;
Cuncta meis haerent oculis, quae foedera sanxit,
Nec patiar dignas, svescit queis plectere sontes
Effluxisse mihi memori de pectore poenas;
Hinc scelerum puram Domino ducam auspice vitam,
Et, ne forte innati illectus fomitis aestu
Indignam admittam culpam, vigil ipse cavebo.
Ille mihi, quod recta sequor, metuoque probrosis
Criminibus scelerare manus, quae debita justus
Dona dabit; puros laeto nam respicit ore.
Innocuis tu nempe insons, placidusque benignis,
Rectos inque animos tu rectae mentis, et idem,
Es Deus, invitus perversi pectoris ultor.

Tu servas humilem duro in discrimine gentem,
Dejicis et tumidi constantia lumina fastus,
Atque mihi nitidos donas effulgere soles,
Nigrantesque oculis penitus mihi discutis umbras;
Te duce per densos ferar inviolabilis hostes,
Et victam ingrediar disjectis moenibus urbem.
Candidus, et verax, coelo qui protegit alto
Me Deus; haud ullo, quam monstrat, sordida limo
Semita, pura fides, medium explorata per ignem,
Qua qui certam illi norunt spem credere, praesens
Tutatur. Vasto quisnam Deus alter in orbe?
Aut aliud celso quodnam super aethere numen?
Ille Deus, firma qui me vi muniit unus,
Quique illi me reclusit iter, cursuque volucres
Æquiparare dedit cervos, ac limine tuto
Me statuit, bellique manus mihi finxit ad artes.
Tu veluti aeratum cornu mea brachia magnis
Viribus obfirmas, mediis mumimen in armis
Tu, Pater, ipse mihi, nec non tua dextra potenti
Nutantem me fulcit ope, ac me, dum aspera rerum
Vexant, muneribus largus potioribus auges,
Et tua, quae miseris leni clementia vultu
Ridet, spemque animumque addit, quocumque locorum
Deferor, ipse viam referas, callemque per amplum
Tutus inoffenso possum decurrere gressu.
Hinc hostes sequor impavidus, victorque tenebo,
Nec prius absistam, et retro vestigia vertam,
Quam penitus fracti jaceant, animosque feroces
Contundam, nec me poterunt obsistere contra,
Demissoque genu pacem, veniamque reposcent.
Sufficis Ipse mihi validas in praelia vires,
Atque meos, ausus quicumque lacessere ferro
Dejicis ante pedes, inimicaque pectora cogis
Vertere terga fugae, atque immani vulnere perdis.
Interea magno auxilium clamore precantur:
Ast hominum fert nullus opem, Deus ipse benignos
Invidet aversus sceleri implorantibus aures,
Datque mihi tenuis, quem versant turbine venti,
Pulveris in morem partes dispergere in omnes,
Et premere attritum veluti per compita coenum.

Me, Pater, infestae gaudes subducere plebi,
Et simul externas per te mihi sceptra per oras
Fas regere, ignotae mea jussa capessere gentes,
Servitiumque pati norunt, atque ocyus omnes
Vix ubi dicta dedi, vocem, imperiumque sequuntur,
Dum mea progenies, nec jam mea, sacra rebellis
Foedera perfregit, vitiorum ac sordida labe
Consenuit, rectaque via malesana recessit.
Vivit io Dominus, meritos dicamus honores,
Et Domini aeterno memoremus carmine nomen,
Quippe mihi miserae per saeva pericula vitae
Favit, nec passus tristi me occumbere letho.
Tu Deus omnipotens scelerum justissimus ultor,
Tu cogis duros populos, gentemque superbam
Imperiis parere meis, me fortis ab ira
Eripis hostili, miseroque extrema minantem
Das superare manum, nec me, quae tentat iniqui
Perdere saepe viri rabies, sinis aspera laedat.
Hinc referam gratas tibi cuncta per oppida laudes
Et laeta tua rite lyra sanctissima dicam
Nomina, namque tuum miro molimine regem
Servasti, et sacro perfusum tempora olivo
Jam tua Jessiadem, sortem miserata malignam,
Respexit pietas, serosque in saecla nepotes.

PSALMUS XVIII.

CAELI ENARRANT GLORIAM DEI, ETC.

Constans coelorum ordo, et legis inconcussa veritas Dei gloriam, et potentiam enarrant.

Sidera quae stabili percurrunt aethera lapsu,
Et simul immensum, quod contegit omnia, coelum
Enarrant decora alta Dei, memorantque potentes
Grandia facta manus. Lux luci exacta futurae.

Et nox alterno subeunti ex ordine nocti
Usque canit; non ulla colit gens barbara terras,
Cui non auditi sonitus, quibus omnis ab ortu
Littus ad occiduum tellus mirata resultat.
Quid? sol ipse Dei validae fama inclita dextrae;
Soli quippe Deus coelo tentoria olympo
Explicuit, terris referat qui roscidus almam
Axe diem; ille novus thalamo ceu sponsus ab alto
Eggreditur late nitido, fulgore decorus,
Strenuus utque gigas eoo ex aequore surgens.
Continuo hesperias properat se condere in undas,
Terrarumque simul flammis opera omnia lustrat.
At melius, Domini quam magna potentia, narrant
Integra, quae sanxit, sacratae foedera legis;
Haec revocant ad honesta animos, haec pacta fidemque
Summi testantur Patris, monitisque verendis
Instituunt pueros, ignavaque pectora formant,
Recta sequi nos illa docent, laetaque secutus
Pace beant, et nigram, oculos quae obduxerat umbris,
Dispellunt nubem, atque jubar coeleste reducunt.
Non ea perpetuus saeclorum solverit ordo
Nosque manent hominum, superumque timere Parentem
Nec non et veri, rectique tenacia fulgent
Nominibus sat clara suis, mihi pulcrius auro,
Pulchrius et gemmis lucent, neque dulcius ipsa
Mella mihi expressis manant flagrantia cellis.
Sedulus hinc famulus, Deus o, tuus illa facessit;
Magna facessenti sunt et sua praemia. Sed quis,
Quis scelus omne cavet? foedam praecor, elue labem,
Si qua meae furtim subrepsit sordida menti
Elue, et oranti facilis jam parce, nec ipsum
Expendisse velis aliena ob crimina poenas;
His ego ni vincor, scelerum tum purus, et ista
Immunis prorsus culpa; quae maxima fiam;
Sic et quaeque loquar, quaeque alto corde putabo,
Semper grata tuos oculos, animumque tenebunt;
Tu mea vis omnis, tu spes, Deus, una salutis.

EX PSALMO LXXIX.

QUI REGIS ISRAEL, INTENDE ETC.

Comparat Propheta elegantissima allegoria Hebraeam gentem vineae, oratque Deum, ut illius, quam ex Egypto transtulit, et hostium direptioni reliquit, tandem misereatur, et virum dexterae suae scilicet Messiam, mittat.

Nos audi, o sobolem qui regis Isaci,
O, qui ceu teneram pastor ovem, vigil
Josephum per amoena
Deducis juga collium.
O tu pennigeris qui juvenum sedes
Innitens humeris, o Deus, intimis
Sacrae, quam incolis, aedis
Jam tandem penetralibus,
Dium funde jubar, quo tua parvulus,
Dulcis cura patris, nomina Beniamin,
Grandaevusque Manasses,
Clarus noscat et Ephraim.
Jam, quae cuncta potes, exere dexteram.
Et jam jam miseris auxilio veni,
Atque instantibus ipse
Praesens hostibus eripe.
Nos in jussa iterum da tua vertere
Gressus, et placido lumine conspice,
Salvi denique laetos
Jam soles agitabimus.

O tu, qui valida bella regis manu,
  Irae, summe Pater, quem statues modum?
    Quo tandem usque rogantis
    Contemnes famuli preces?
Quo tristes epulas, duraque pocula
  Ad plenum usque dabis multa querentibus?
    Tu nos undique rixis,
    Alterna vice proximi
Quas reges agitant, nos sinis opprimi,
  Quo fracti assiduis tot male caedibus
    Nos debere dolemus
    Saevis ludibrium hostibus.
Nos, belli omnipotens arbiter, aspice, et
  Rursum in jussa gradus da tua vertere,
    Salvi denique laetos
    Jam soles agitabimus.
Transfers e Phario litore vineam,
  Et secto nocui germine surculi,
    Illam sedulus arvo
    Felici magis ordinas.
Te ducente vias tuta per asperas
  Longum fecit iter, latius et novo,
    Te cultore, profundas
    Radices agit in solo,
Telluremque virens occupat, arduos
  Montes umbriferis frondibus obtegit,
    Cedris undique, odoro
    Quae surgunt Libani in jugo,
Jam se se frutices altius efferunt,
  Jam magni occiduas aequoris ad plagas,
    Clarique amnis ad undas
    Porrectos ego palmites
Rupta miror humo tollere verticem,
  Cur circum positum proruis aggerem?
    Cur nam furibus illa
    Prostat praeda rapacibus?
Illam finitimo prosilit e specu
  Vasta tum rabido dente ferox aper,
    Silvestrisque nocenti
    Morsu depopulat ferus.

Da belli omnipotens arbiter, in tua
, Rursum jussa gradus vertere; respice
Summa ex aetheris arce
Caram respice vineam,
Atque invise, manus quam tua severat,
Et primum miserae fac redeat decus.
Almum respice foetum,
Firmo quem tibi palmite
Auctum munieras. Jamque voracibus
Horrent fertilium germina vitium
Flammis usta, jacentve
Curvis secta ligonibus.
Qui flamma, rigidi quique ligonibus
Haec ausi penitus perdere, concident,
Acri scilicet ira
Cum tu fervidus arseris.
Adsis ipse viro, quem tua finxerat
Rerum dextra potens, quemque homine editum
Te rara auspice dona,
Et firmae decorant opes.
Sic nos usque alacri te sequimur pede,
Sic tu laeta dabis tempora, sic tuum
Multo carmine nomen
Grata in vota vocabimus.
Nos belli omnipotens arbiter aspice, et
Rursum in jussa gradus da tua vertere
Salvi denique laetos
Jam soles agitabimus.

PSALMUS CIV.

CONFITEMINI DOMINO, ET INVOCATE ETC.

Recenset Dei beneficia in gentem Hebraeam collata populumque exhortatur ad laudes illi canendas. Repetit autem historiam ab Abrahmi usque temporibus, eamque perducit ad ea tempora, cum Deus Chananaeorum terram Judaeis possidendam tradidit.

Eja Deum grato certatim tollite cantu,
Illius et magnum sacra inter carmina nomen
Vestra per ora sonet dextra quaeque ipse potenti
Exegit, latum, Isacidae, vulgate per orbem,
Psallite vos illi, et laudes iterate canendo
Quae mira explevit; Domini vos nomine laeti,
Vestrum quippe decus nomen venerabile sanctum,
Exultate animis, et toto pectore secum.
Gestiat, ad Dominum supplex qui confugit ultro,
O fidi genus Abrami, carique Jacobi
Progenies, summo rerum dilecta Parenti,
Confugite, atque comes spes non incerta sequatur
Cui bene perpetuo innixi illo sistite coram,
Atque simul meminisse juvet, quae grandia forti
Perfecit Deus ipse manu, quaeque edidit olim,
Prodigia, Amramidique duci quae credita jura.
Ipse Deus, Dominusque almo, qui numine nostras
Res regit, et populos justus dijudicat omnes.
Oblito non illi unquam de corde recessit
Olim pacta fides, quam aeternos tradidit annos
Servandam, quam Thariadi dedit ipse fideli,
Nec non Thariadis soboli juratus, et una
Isaciden vetuit sera cum prole nepotum
Frangere cum dictis sic est affatus amicis:

Ipse tibi extentis Chananeos funibus agros
Partiar, atque illis per me donaberis haeres.
Illi parva manus, primumque brevissima turba
Saepius ignotas ignoto litore terras
Mutarunt profugi, sed quemquam obsistere contra
Haud unquam passus summi regnator olympi,
Adversosque simul reges injusta moventes
Praelia dejecit, fuditque has ore loquelas;
Ne quisquam, jubeo, malesano percitus aestu,
Ingruat, et sacro perfusos tempora olivo,
Dilectosque mihi penitus ne laedere vates
Audeat, intentetque malis incessere noxis.
Ille famem Pharias miserandam immisit in oras,
Horrida qua medio sata laeta, bovumque labores
Aruerunt sulco, et victum seges aegra negavit.
Praemisit tamen ante virum, quem magnus Jacob
Progenuit, fratrum invidia qui venditus acri
Jam prius externis servitum gentibus ivit,
Manicipium infelix; saeva qui compede vinctus
Ingratam vitam in tenebris, et carcere caeco
Traxit, et indignis oneratus colla catenis
Altius ad vivum indoluit, dum vera paterent
Somnia, quorum unus pridem mysteria fidus
Retulit interpres, Domini qui numine tactus
Incaluit, veraxque omnes res ordine pandit.
Tum qui Niliacas urbes, populosque regebat,
Divino juveni manicas, atque arcta levari
Vincula, et obscuro, moestoque e carceris antro
Educi jussit, libertatisque potitum
Aulae praefecit dominum, famulamque catervam
Summo dirigere imperio, atque ab rege secundum
Secum una extensas rerum concessit habenas,
Ut proceres, regemque ipsum, clarique senatus
Augustos patres sapiens meliora doceret.
Tum Pelusiacos venit vagus accola campos
Jejuna cum stirpe Israel, quam protinus ille
Auctam multiplici vidit succrescere foetu,
Quo firmis praestans opibus conterruit hostes,
Quove Paretonias tenuit vis invida gentes,
Civesque indignata novos odia aspera movit,
Et Domini insidiis conata est perdere servos.

At Pater omnipotens turbam miseratus amicam
Et Mosen, fratremque, sibi quem legit, Aronem
Misit, et in Phariis et signa, et grandia terris
Prodigia exercere dedit. Jamque omnia circum
Horruerunt nimium caecis obducta tenebris;
Non etenim Dominus passus sua dicta per auras
Irrita ferre notos. In foedum versa cruorem
Fluminis unda fluit, versaque in fluminis unda
Jam moriturus hiat prolutus sanguine piscis.
Illicet erumpunt coenoso e gurgite ranae,
Obscaenum examen, duri quod et intima regis
Subsultans foede circum penetralia complet.
Praeterea stimulis nimium importunus acutis
Muscarum, culicumque ingens exercitus instat,
Atque omnes ducente Deo tenet undique fines.
Horrida dein nimbis, et denso grandinis imbre
Tempestas sine more furit, simul aethere ab alto
Irruit ignis edax, quo laetae palmite vites
Et virides ficus, et pomis utilis arbor
Usta per arva jacent. Longiquo ex orbe locusta
Acta euro, et bruchus per apertos avolat agros
Et gravidas fruges, humilisque virentia foeni
Gramina deposcit. Demum tam dura perosus
Pectora iam Dominus pecudumque hominumque cruento
Primos, heu miserum! foetus qui prima parentum
Cura dedit letho. Haec inter saevo hoste recepta
Isaaci soboles argenti Dives, et auri,
Nec non incolumis, non ullo languida morbo
Niliaca tellure, Deo duce, et auspice, cessit.
Illam Niligenae, tantae quos funera caedis
Terruerant, cessisse suis gratantur ab oris.
Tum Dominus profugam praesenti numine servans
Insuetam immittit nubem, quae solis ab aestu
Protegat, et noctis claro regat igne per umbras.
Quin etiam optatas poscenti sufficit escas,
Sufficit, et coeli panem, innumerasque volucres
Datque avidam saturare famem, saxosaque rupis
Discindit latera, unde novi, gratique liquores
Ocyus exiliunt, perque arida jugera campi
Fluminis in morem sinuosis cursibus errant.

Talia nempe Deus, qui temperat omnia, forti
Perfecit dextra; memori nam mente reposta
Perstat sacra fides, quam caro obstringerat olim
Thariadi, phariaeque immisso e litore terrae
Laetis exultantem animis, plausuque frementem
Dilectum sibi jam populum deduxit, et illi
Externasque plagas, alioque exculta colono
Arva serenda dedit, sedesque ibi fingere jussit,
Sacrarum ut legum, quae sanxerat ipse, per aevum
Jura libens servet, nec non data jussa facessat.

EPIGRAMMATUM

LIBER

HIERONYMI ALEANDRI.

DE SOLIS DEFECTU IN CHRISTI DOMINI MORTE.

I.

Si lacrymas flammae sivissent spargere solem
 Flevisset Christi perditus ille necem.
Quid potuit nigro obduxit velamine frontem,
 Et radios dempsit crinibus ipse suis.
Fas etenim haud fuerat vultu ridere sereno
 Dum moestas coelum duceret exequias.
Nec decuit textam e radiis deferre coronam
 Dum premerent Domini spinea serta caput.

ACTII SINCERI SANAZARII.

II.

Natali quod Dive tuo lucem editus hausi
 Quod tua nascenti lux mihi prima fuit:
Actius hoc riguo parvum cum fonte sacellum
 Dedico; tu nutu fac rata vota tuo:
Ut quae sextiles lux venerit ante calendas
 Quarta, sit hic generi bis celebranda meo;
Et quod solemnes revocat tua festa per aras
 Et quod natalem contigit esse meum.

HIERONYMI VIDAE.

AD DIVUM AUGUSTINUM.

III.

Det monstra infelix tellus Massyla, det angues,
Et libycas pariat Punica terra leas;
Arescant sitiente solo Nasamonica tesqua,
Funditet et nullas gleba Libystis aquas:
Dum tamen, Augustine, tuos non deneget ortus,
Laeta sit et partu Cinyphis ora tuo.
Unde illi invideant et felix Lydia, et arva,
Quae rigat auriferis lucidus Hermus aquis.
Invideat latis audax Germania terris,
Dives aquis, populis dives et ipsa suis.
Nil etenim, Augustine, tulit te te Africa majus,
Cujus ab ingenio creverit alma fides.
Per te relligio Christi stetit integra, per te
Divinae legis mystica aperta patent.
Tu secreta Dei pandis; tu tradita patrum;
Et verum, et pietas manat ab ore tuo.
Et pater et patriae princeps, et maxime rector,
Accipias voces Dive benigne meas.

MARGARITAE VIRGINI MARTYRIQUE SANCTAE.

IV.

Margarita, tuam, senium quam everterat, aedem
Vida tibi e Pario marmore restituit.
Pro qua si pietate ulla est ei gratia apud te
Parta, sacerdotem respice, Diva, tuum.
Non aurum, non quos vulgus suspirat, honores,
Non longa in terris sit sibi vita, petit.
Verum illum sibi concilies, cui sanguine fuso,
Cui simul aeterna virginitate places.
Numen ut illius in morte experiatur amicum,
Illius inque piis sit pius usque choris.

BENEDICTI ACCOLTI.

INNOCENTIAE.

V.

Quod duce te horrentem fuerit contemnere molem
Hostiaque aeratis obsita roboribus,
Quodque hominum immanes fraudes, facinusque nefandum
Despiciam, et mortis singula plena metu,
Te veneror, sylvae Virgo, quae laeta per hujus
Illaeso peragras avia coeca pede,
Et propriae solita es decerpens laudis honores
Innocuis robur addere pectoribus.
Nunc, tibi si puram semper mentemque animumque
Servavi, ac templis congrua dona tuli,
Hunc ferri stridorem inter, et iniqua furentum
Verbera, te dignos tu mihi praebe animos.

PACI.

VI.

Restituis fessis quod te Pax aurea rebus
Cultaque compositis litibus arva nitent
Turba tibi haec merito se se laetissima fundit
Et premit agrestes fronde revincta comas,
Quaque oleae hospitiis soles felicibus arcent
Solemni celebras sacra novanda die
Tu bona sis facilisque tuis allabere donis,
Moxque tua auspicio candidus annus eat.

FRANCISCI BERNI.

VOTUM VIRGINI DEI PARAE.

VII.

Servasti semel incolumen sanctissima Virgo
    Et per te dulcis reddita vita mihi est,
Arida cum miseros febris depasceret artus
    Exangues macie depopulata genas.
Mox etiam pellis dirae contagia pestis,
    Qua prope contacta saucius occideram,
Ausonias olim cum debacchata per oras
    Venisset nostram conscelerare domum.
Servati toties vilem tibi Diva tabellam
    Pro magnis votam reddimus officiis.

BENEDICTI AVERANII.

DE CHRISTO CRUCI AFFIXO.

VIII.

O dolor, immani confossum cuspide pectus
    Et lacera aspicio Numinis ora mei.
Cui tantum licuit, quis bellum inferre tonanti,
    Aut potuit dira plectere morte Deum?
Crudeles furiae, scelerumque insana cupido,
    Vestrum opus hoc, vestra vulnera facta manu.
Auctorem vitae vos funere mergitis atro,
    Dum properat rebus consuluisse meis.
O quam letifera est vestri violentia teli,
    Quae vitae patrem perdere saeva potest.

DE EODEM.

IX.

Cerne Dei vultus, transfixaque pectora dumis
Quodque altum in sacro pectore vulnus hiat;
Et lacrymas effunde, imo et suspiria corde,
Crudeles obitus et miserare Dei.
Sic tibi, divino quaecumque in pectore cernis
Vulnera, Divini vulnus amoris erunt.

M. ANTONII FLAMINII.

DE HIERONYMO SAVONAROLA.

X.

Dum fera flamma tuos, Hieronyme pascitur artus
Relligio sanctas dilaniata comas
Flevit, et o, dixit, crudeles parcite flammae
Parcite; sunt isto viscera nostra rogo.

AD CHRISTUM.

XI.

Alme puer, sanctis quem Virgo amplectitur ulnis,
Virgo, coelesti Numine facta parens.
Cernis ut exiles febris mihi pascitur artus?
Cernis quam saevus concutit ossa tremor?
Quem sequitur miseras exurens flamma medullas,
Urit ut arentes lucida pruna faces.
Tu puer, aeternus cui dat Pater omnia posse,
Tutela humani sancte puer generis;
Si labefacta gravi sub pondere tota recumbit
In te uno famuli spesque salusque tui,
Aut morbum pelle, aut vires mihi suffice, tanta
Queis possim laeto pectore ferre mala.

HERCULIS STROZAE.

AD GLORIOSAM VIRGINEM.

XII.

Virgo salutiferi genitrix intacta tonantis,
Unicaque undosi stella benigna maris,
Quam rerum Pater, ut lapso succurreret orbi,
Nondum dispositis jusserat esse polis,
Jessaeque sacro nacti de sanguine gentis,
Et matrem statuit virginitate frui.
Tu potis es primae scelus expurgare parentis,
Humanumque Deo conciliare genus.
Lacte tuo, qui te, qui cuncta elementa crearat,
Pavisti vilis culmine tecta casae,
Hunc coeli Regina tuis pro gentibus ora,
Quosque tuus juvit Filius, Ipsa juva.

VITI MARIAE JUVENATI.

AD CHRISTUM O. M. SALVATOREM.

Ex persona Aloysii Gonzagae adolescentis castiss. et innocentiss.

XIII.

Ah quid Christe in me tantum jacularis amorem?
Desine: jam toto pectore vulnera hiant.
Immo vulnus ego: sic ne exiguissima pars est
Nostri, quae pridem non penitus periit.
Jamque adeo extinctum tumulassent ipsa eadem ni,
Abs te quam patior, mors mihi vita foret.

JANI PARRASII.

AD DIVAM LUCIAM.

XIV.

Lucis Diva potens, nostri miserere, juvaque
    Lumina scrutandis fessa voluminibus.
Si dabis hoc, versu referam tormenta, gravesque
    Carceris aerumnas, tristeque supplicium,
Calcatumque feri imperium furiale tyranni,
    Cunctaque praeceptis posthabita esse Dei;
Evulsos oculos, desectaque colla securi,
    Lussatasque manus, armaque carnificum;
Farre etiam pastus domito ferventibus undis
    Festo rite die sobrius amne bibam.

MARII FRANCISCI MOLSAE.

DE CRUCE DOMINI.

XV.

Hoc quondam eversum ligno Pater optimus orbem
    Sustulit, humanum restituitque genus:
Ut conspersa Dei sacro crux alma cruore
    Vel magnis posset regibus esse decus.
Sidera fulsit apex, radice in tartara fertur;
    Hoc latus Eoos, hoc fovet Hesperios.
Quisquis es, hanc tecum mortales tolle per undas
    Inscia naufragii ligna, trabemque vides.

DE CLEMENTE VII PONT. MAX.

XVI.

Sidera dum repetit Clemens, terrisque relictis
In sibi jam parta collocat arce pedem,
Subducunt coelum nubes, et nocte coorta,
Proluvies foedis imbribus arva premit.
Ceruleus tumido Tyberis caput abdidit alveo
Et formidatis flumina laxat aquis.
Scilicet et fluvios dolor attigit, ipsaque funus
Certatim ducunt moesta elementa novum.

JOSEPHI ANTONII PINTII.

DE MARIAE VIRGINIS CONCEPTU.

XVII.

Frigore concretas nix quae delapsa per auras
Insidet excelsis ardua culminibus
Vellera quae niveo splendent depicta colore;
Lac quod fundit ovis candidum ab uberibus;
Lilia secretis quae septa oriuntur in hortis,
Luna nitens oras alba per aethereas;
Intemerata tui sunt, Virgo, signa pudoris
Sed candore nives, vellera sed superas;
Lilia nec possint tecum conferre nitorem
Nec luna aut lac quod candida fundit ovis
Debuit et merito Genitrix dilecta Tonantis
Nulla pati primae semina nequitiae.

FRANCISCI CARD. BARBERINI ARCHIEP. FERRARIENSIS VIRI SANCTISSIMI.

EPITAPHIUM.

XVIII.

Sparge solum lacte, et flagranti flore sepulchrum
O quicumque venis littora ad Eridani;
Hic namque ingentis recubat, spes maxima ovilis
Parta, et exculti jam decus eloquii:
Nec jam procubuit morbo perculsus iniquo
Ignibus at tactus numinis interiit.
Ne lacrymas igitur fundas, sed vota precesque;
Et dic huic cineri: sit tibi terra levis.

STANISLAI CHICCOLI.

VENERUNT AB ORIENTE MAGI, ET PROCIDENTES IN TERRAM ADORAVERUNT EUM.

XIX.

Sancte Puer qui cuncta tuo sub numine torques
Aurorae populos Hesperiosque regis.
Rex hominum, divumque Pater, quem pontus et aer
Et stygii manes coelicolaeque pavent
Adsumus ex claro perducti sidere coeli
Adsumus et flexo poplite te colimus.
En tibi tura damus, cunctas tibi ponimus aras
Sacraque votivis carmina muneribus.
Mortales adsuesce Puer cognoscere votis,
Incipe muneribus tendere parve manus
Haec sat nam seri statuent pia templa nepotes
Externisque ferent marmora litoribus.

JOSEPHI MARIAE PARTHENII

AD CONSTANTIAM SOROREM

SACRARUM VIRGINUM COLLEGIUM

INGRESSURAM

XX.

Tempus adest; quid adhuc frustra retinemus amantem?
    Optat as subeat casta puella fores.
Non, si quis socios suspiret turtur amores,
    Agrorum hunc molles deliciae capiant;
Gramina sed fugiens loca sola silentibus umbris
    Pervolat, et mediis ingemit arboribus.
Sic Virgo insigni comitum stipata corona
    Nunquam oculos caro dimovet hospitio.
Tecum una properat latebris sese abdere iisdem,
    Jampridem sacros nacta soror thalamos.
Quamquam has non illi soror afflat pectore flammas,
    Divus Amor mentem hanc auspiciumque dedit.
Divus Amor docuit complexum atque ora parentum
    Alverni duris posthabuisse jugis.
Non illi quisquam titulos offerre superbos
    Audeat, aut blandi delicias thalami;
Illum alii aliciunt thalami; Sponsus rapit ille,
    Qui sibi conjugio vovit utramque suo
Felices animae castos conjungite amores,
    Quos beet aeterno foedere divus Amor.
Vos Patria aspiciens mirabitur, et sibi dicet;
    Quam magna e nostro est praeda petita sinu!

JACOBI BASSANI.

DE S. ALOYSIO GONZAGA.

XXI.

Nocturna invadit lectum tibi flamma, jacesque
Gonzaga in mediis ignibus incolumis.
Hoc vere est dictu mirabile; sed magis illud
Nullis unquam te arsisse cupidinibus.

DE SACERDOTE PRIMITUS SACRUM FACIENTE.

XXII.

Iuli Parthenios inter memorande sodales,
Cui vita longe dulcior atque anima est
Seu cultus verae Dominae, sive illa tua ingens
Vere fraterni cura sodalitii:
Gratulor immensum cui consecraris honorem,
Et quod delatum est grande ministerium.
Aggredere o, novus incedas ad templa sacerdos:
Virtutum incedet te praeeunte chorus,
Relligio, Pietas, servoque Modestia fastu,
Inque omnes omni fusus Amor studio.
Hisce auctus facias, illique probabere, qui vult
Et dici virtutum omnium et esse Deus.

S. STANISLAO KOSTKAE.

XXIII.

Stanislae, meus Zanottus quid sibi de te
Speret, in ipsius tute vides animo.
O tibi quod sperat, quamprimum debeat? id si
Feceris, etsi unus dona tua excipiet,
Non unus tibi debebit: me me quoque habebis
Obstrictum aeterno, Dive bone, officio.

FRANCISCI MARIAE ZANOTTI.

DE S. STANISLAI KOSTKAE EXITU.

XXIV.

Ultima dum properant Kostkae jam fata, neque ulla
Languentem medici sublevat ars puerum;
Non ille antiquae ut rediens ad commoda vitae
Absumpta in longum vivere tabe queat;
Non ille ut dulces colles camposque revisat
Kostkovi et carae littora Sarmatiae:
Tantum ut, o Virgo, tuos possit spectare triumphos,
Hoc petit, hoc precibus postulat, hoc lacrymis.
O mihi habere Deus vere det talia vota!
Tum si me velit occumbere, non renuo.
Qui luce hac sic oppetit, hujus nae ego mortem
Et vitae et regnis omnibus antefero.

S. FILIPPO NERIO.

XXV.

Dum tua, sancte Senex, agitantur festa per agros,
Haec tibi dona fero pauca, sed ex animo:
Non quod tam largos caelo demiseris imbres,
Quum misere arentes finderet aestus agros:
Non quod saepe meos praesens defenderis agnos,
Quum pecudes passim dira lues raperet:
Sed quod crudeli quum jam jam tabe periret,
Per te Damoni vita meo rediit,
Damoni tenero, cui dum sua vita rediret,
Ipsi etiam mea tunc vita mihi rediit.

IN OBITUM

PROSPERI LAMBERTINI PONT. MAX.

Cum Zanottus italicum fratris carmen in conventu publico recitavisset, hoc addidit.

XXVI.

Tristes hos versus, fraterni signa doloris,
Ferre tuas volui, Prosper ad inferias
Nempe ut, qui gemitus tantum disperdere inanes
Jam valeo lacrymas, nec cohibere queo,
Afferrem tamen ingrato pia verba sepulcro,
Quae tristis servet tempus in omne lapis.
Quaeque olim relegat spectat dum busta, viator,
Atque unus, dicat, non fuit ille dolor.
Fratres una duos cum mors aeque angeret alter
Versiculos, alter persolüit lacrymas.

SYRO USUALDO GREGORIO.

Quum is primum ad aras facturus accederet.

XXVII.

Si quidquam, jucundum unquam gratumque quod esset,
Accidere ex ulla quidvis amicitia,
Scilicet id mihi nunc plane contingit, ad aras
Dum meus hic Syrus aggreditur facere:
Cui virtus herens lateri, et laus quaeque ministrant,
Pura fides, et spes sanctaque relligio,
Et mores faciles, et mens exculta per omnes
Preclaras artes, et pudor ingenuus.
O faxint Superi, quum Christo operatur et unum hoc
Mente agitat, socii sit memor ille sui,
Qui prae laetitia, dum praesens adspicit illum,
Exsilit, et tepidas funditur in lacrymas.

RAIMUNDI CUNICHII.

DE FRUENDA TUENDAQUE RE FAMILIARI.

XXVIII.

Disce frui partis rebus moriturus, et idem
Victurus rebus parcere disce tuis.
Ille mihi sapiens, qui rem bene miscet utramque,
Jamque opibus novit parcere, jamque frui.

DE VIRI CONSTANTIA.

XXIX.

Nil fortuna virum laedit: quocumque cadat res,
Immotus firmo stat tamen ille gradu.
Fors varie circum ludit; dat detrahit, extra
Quae sunt; prorsum intus quod fuit, ipse manet;
Seque sua involvens penitus virtute, ruat si
Orbis, in exstremo non pavet exitio.

PURIFICATIO B. MARIAE VIRGINIS.

XXX.

Siste gradum; vulgo matrum nec te insere, Virgo
Virgineos partus februa nulla decent
Quid loquor? in medias dat se; nec casta videri
Ante alias omnes, casta sed esse cupit.

DE DIE B. MARIAE V. NATALI.

XXXI.

Vitales prodit Virgo Jessea sub auras
Illa Deum puro quae feret alma sinu
Gaude hominum foede nigris gens mersa tenebris,
Surgit io multa luce serena dies:
Aurora exoritur : jam pleno lumine coeli
Sol quoque ab astriferis sedibus exiliet.

AD DEIPARAM PRO OBTINENDA PLUVIA.

XXXII.

Aret ager tellus late morientibus herbis
Non homini, non fert pabula grata gregi
Diva Parens, huc verte oculos; jam cuncta virebunt,
Grata homini surgent pabula, grata gregi
Pro tristi gemitu, pro luctisono ululatu
Laeta tuis passim laudibus aura fremet.

AD PIUM VI VINDOBONAM PROFICISCENTEM.

XXXIII.

I felix, i Sexte; preit te Petrus euntem,
Praesens cultorem servat et usque suum :
Ille auctor sacrum ad cinerem dum cernuus oras,
Nempe fuit jussae dux erit ille viae.
Hoc duce successum poterit res nulla morari :
Hoc duce vaticinor, prospera cuncta cadent

SOCIETAS JESU ROMAE DISSOLUTA IN SARMATIA REVIVISCENS OLIM GLORIOSIOR RESSURECTURA.

PROSOPOPEIA.

XXXIV.

Quae Romae ingenti jacui dejecta ruina,
Rursus in extrema surgo ego Sarmatia.
Parva quidem, fateor: magni at Rex altus olympi.
Saepe solet parvis addere rebus opem.
Ille modo faveat (fremat invidia turba) resurgam
Supremo longe pulchrior a cinere.

STEPHANI ANTONII MORCELLI.

DE CULTORIBUS MENSIS MARIANI.

XXXV.

Alma, viden, pueri, o Virgo, innuptaeque puellae
Virgineo ut clamant casta pudore cohors?
Dulci ut mi Mater compellat quisque loquela,
Deque suo spondet munera pulcra animo?
Respice primaevae virtutis germina, et auge
Quidquid nempe tua primum adolescit ope.
Auspice te patriae hinc surgent spes optima cives,
Venturae matres hinc soboli ipsa dabis.

DE TEMPLO MAXIMO BRIXIANORUM,

XXXVI.

Brixia perfectum, seris mirabile saeclis,
Quod tibi pollicita est, alma Dei Genitrix,
Stat bis centum opus annorum: fastigia cives
Suspiciunt summo vasta nitere tholo.
Hancce pii molem conati educere caelo
Majores, paribus nec tamen illi opibus.
Moliri hoc ausos sit eorum gloria prima;
Extremam nostra est imposuisse manum.

DE VITA AEVI AETERNI IMPETRANDA.

XXXVII.

Caelicolae magni, virtus si vestra labore
A nostro, et tenui crevit ab eloquio,
Auribus ut late posthac audita latinis,
Orbi adeo toti pulchrior eniteat;
Vos gemina extremos servate volumina in annos,
Tempora ne laudes obterere ulla queant.
At mihi, namque hoc posse datum, prope culmina vestra
Efficite, oro, illic angulus obveniat:
Summa peto, meritis, fateor, nec debita: vobis
Sed majora itidem sunt data promeritis.

DONA VIRGINUM ANILIA.

XXXVIII.

Tres aevo aequales, Virgo tibi sancta, dierum
Extremo parva in limine dona damus:
Fert Nice calathum plexo de vimine, comptam
Sedula, qua nevit fila, colum Arsinoe:
Ursilla argutum radium, quo laeta laborum
Intexit ductis licia staminibus:
Te duce quod vitam probro sine vivere, victum
Quod licuit nostris sumere de manibus.

DONARIUM PAULLO APOSTOLO.

XXXIX.

Quae duo stant auro fulgentia et aspera signis
Candelabra tui, Paulle, decus tumuli,
Longum haec post desiderium tibi Roma recepto
Dona Pio lati dat memor auxilii:
Ut dum perpetuo lucebunt igne, perennem
Cum populo princeps experiatur opem.

DE DONARIO AGAPE MARTYRI SACRO.

LX.

Tres tibi pulchro, Agape, suspendimus ordine lychnos
Quisque tibi ut triplici fulgeat igne sacer:
Qui medius splendet, partam olim sanguine palmas
Indicat, et meritum martyris obsequium.
Alter at adventum memorat faustumque triumphum
Advena quum nostro es sera recepta solo.
Tertius optatae testis quod reddita sedi
Incola nos prece, nos auxilioque juvas.

NIHIL IN HAC VITA PRAE CAELESTIBUS AMORE DIGNUM.

LXI.

Quid nos pulchra juvat species, quid detinet auri
Splendor et adsiduo parta labore quies?
Omnia tempus edax quae perdet, nec dabit ulli
Quod secum aeternam perferat inde domum.
Adspicite, o cives, caelo quae cuique parata:
Haec bona, nec vobis auferet ulla dies.

SOLLEMNIA PENTECOSTES.

LXII.

Dius Amor, caelo qui casta in pectora quondam
Illapsus, sanctis ignibus enituit:
Bisseni ut Proceres flamma fulgente corusci
Virtutem magni numinis induerent.
Scilicet una omnem quae mox diffusa per orbem
Majorum tenebras dispulit ex animis:
Illa iterum in nostra adveniat nunc corda repente
Et sacro circum fulgeat igne caput;
Antiqua ut rursum virtus rectique piorum
Jam mores redeant, jam nova saecla virum.

VOTUM REDDITUM.

LXIII.

Quae modo marmoreis aedes innixa columnis
Musivo et pulchris ennitet a statuis,
Hanc memores diae merito posuere Parenti
Servatae diro a funere Romulides.

DE PUELLA MIRAE MODESTIAE.

LXIV.

Perge, Agape, levium sociarum spernere morem,
Perge, o compta bonae matris ad arbitrium:
Immissas oculis ne comas fluitare capronas
Addecet, et vultu quae proba virgineo,
Et gravis incessu quae servet casta pudorem,
In propriis melius docta nitere bonis?
Frons aperit tua sensa: animus sic eminet insons,
Et vitam ducas quam bene, fronte lego.

DE CONVIVIO PAUPERUM.

LXV.

Prima ubi te votis, Agape, suscepit ovantem
Caelesti dives pignore facta domus,
Bisseni plebe ad mensam de paupere laute
Accepti heic hilares accubuere senes.
Quippe tuum admonuit nomen nos Hospitis, haud fas
Posthabita hunc Agape praeteriisse diem.

AD SODALES VETERES IN PRISTINUM ORDINEM RESTITUTOS.

LXVI.

O quos Romulaea liqui digressus ab urbe,
Rebus in adversis saepe probata cohors
Ignati soboles germana! o queis Pater aevum
Perpetuum omnipotens dein fore pollicitus:
Salvete, et vestri memores estote sodalis;
Ad vos vis podagrae si ferat, en propero.
Nam mihi dulce mori vestra cingente corona:
Agnoscent socii me quoque caelicolae.

DE PUERO, QUI VISUM RECEPIT EX VOTO MATRIS.

LXVII.

Zane puer, quale admisti nec bimule crimen,
Febris utrumque tibi lumen ut eriperet?
Nil ego, et insontes nil peccavere parentes;
Quaesitum at sanctae sic decus est Agape:
Namque suburbana mater dum supplicat aede,
Illa meis tenebras dispulit ex oculis.

DE TABULA CHRISTI D. N. SEPULCHRUM REFERENTE.

LXVIII.

Adspicis incurvum manibus post terga revinctis
Qui fremit, et nudis vincla terit pedibus?
Hic ille est Erebi dirus regnator: at illa
Mors fera, direpta quae jacet a pharetra.
His cessere homines, sed non Deus: urget utrumque
Qui vicit, clauso non minor in tumulo.

HAGNE INVICTA MARTYR.

LXIX.

Hagne ego, nec captam sponsus decet ullus ab orbe,
Non dux, non regis filius atque nepos.
Sidera namque unus me qui caelestia torquet
Omnipotens sponsam maluit esse suam.
Lictor age, trepidas? contra nihil ausa puella
Jam fuso Dominum pulchra cruore petam.

MACABEORUM MATER.

L.

Crudeli extingui septenos funere fratres
Isacidas dirus dum jubet Antiochus,
Ecce alacris fortes praeclara occumbere morte
Mater pro patriis legibus adspiciens.
Macti, inquit, pueri, lacrimas ne poscito, caelo
Vos peperi, et meritos infero sideribus.

QUAE BONIS MORIBUS OFFICIANT.

LI.

Macte, puer, virtute: novum crescentibus annis
Ipsa decus verax addere fama queat.
Sed socios fugias famosos, sed mala vites
Colloquia, et pravo quisquis amore tumet.
Ni caveas; primo frustra bene vixeris aevo;
Illa boni sensim mentem animi inficient:
Quique probus vita nunc gaudes puriter acta,
Heu miser, ingenuo grandis honore cades.

DE EDITIONE OPERUM S. GREGORII AGRIGENTINI

LII.

Huc Agrigentinae, precor, o Pater inclyte gentis
Gregori age, ad nostram flecte vocatus opem:
Flecte acies geminas, tua dum tractamus, et almi
Mirum opus audemus promere consilii.
Invida si tenebris multorum in damna vetustas
Obruerat, veterum nec saturata bonis:
Adfueris modo, jam nostro tua scripta labore
Vivent, omnigenis usque probata viris;
Quodque cupis, caelo dum regnas, spernere terram
Divino hi discent edomiti eloquio.

DE CELLA MICHAELIANA CLARENSI.

LIII.

Quae tibi nunc vario fulget sacra marmore cella,
O Michael, domito dux metuende Erebo:
Hanc primum mulier pia condidit, hancque clientes
Dein studio ornantes excoluere tui;
Ut sibi nimirum praesens, ut civibus idem
Mortis in ambiguo limine adesse velis.

DE PUELLA, QUAE EX VOTO CONVALUIT.

LIV.

Vicus ubi in laevum declinat proximus Austrum,
Quaerebat medicas aegra puella manus.
Anna olli nomen, misere cui triste tuenti
Squallor ubique aderat, flavus ubique color.
Implorata Agape vota audiit, heicque videndi
Reddita vis subito est, parta salus reduci.

TROPAEUM LIBERTATE RECEPTA.

LV.

Quod spectas, hospes, parta jam pace tropaeum,
Testem id divini noveris auxilii.
Namque unus diri post tot discrimina belli
Hoc poterat miseris porrigere Omnipotens,
Et majus voluisse putes: jam quippe negabant
Deberi hoc nobis heu scelera auxilium.

PRO FEDERICO CARDINALI MANTUANO.

Mariae Virgini Votum.

LVI.

Urbs tibi, quam vitreis circumdat Mincius undis
Pro juvene, o Virgo, plurima vota facit,
Pro juvene, ad summos qui dum contendit honores,
Virtutis semper tramite currit iter:
Cui non ambitio, non splendor divitis auri,
Cui non perstrinxit lumina mentis amor:

Quo magis ex animo nullus tua numina adorat,
  Quum spargit sanctos thuris odore focos.
Sancta veni, triplici stellarum incincta corona,
  Sancta veni, sacris huc comitata choris,
Et revoca diro Federicum a limine mortis,
  Cui jam jam saevas injicit illa manus.
Ipsa potes, quodcumque rogas, tibi Rector olympi
  Adnuit, ille tibi Filius atque Pater.
Multa tuo in templo suspendet Mantua dona,
  Et referet laudes multa tabella tuas.

DE EDITIONE NOVI OPERIS, CUI TITULUS AFRICA CHRISTIANA.

LVII.

E tenebris rursum Romana quod Africa prodit,
  Magnorumque redit gloria prima Patrum;
Relligio gaudet, laetantur corda piorum,
  Et veteres Virtus optat adire domos.
Exoriare aliquis foedam qui pellere gentem
  Inde ausus, tutum ferro iter expedias.

DE ITINERE GALLICO PII VII PONT. MAX.

LVIII.

Unde ferox diri erupit discordia belli,
  Et miserae infrendens Italiae incubuit,
Inde olea redimita caput Pax alma revisat
  Italiam, cunctis Pax bona terrigenis!
Et sperare decet: Patrem jam Gallia quaerit,
  Auctore hoc poterit reddere docta Pio.

CURIONIS VOTUM A MORBO.

LIX.

Erepsi lecto atque domo fultus male talis,
Inque Dei potui templa venire pedes:
Hoc satis, o superi; namque omnis parta voluptas
Jam mihi, si populo rectus adesse queam.
Nae podagra hoc boni habet saltem res pessima: postquam
Contudit articulos, lingua caputque valent.

PRO PERENNITATE PONTIFICATUS D. N. GABRII MARIAE NAVAE VOTUM.

LX.

Munere de vestro, Superi, quando inclita gaudet
Jamdudum tanto Brixia Pontifice,
Unus qui teneros ad grandia fingit alumnos,
Virtutis custos, altor et ingenii;
Vindice quo veterum floret doctrina parentum
Et viget ipsa adytis reddita Relligio:
Vos patriae servate, precor, pia dona, malamque
Invidiam, atque avidas hinc prohibete manus.
Bis meritas grates haec nostra fatebitur aetas,
Bis reddet duplici laeta patrocinio.

DE SODALIBUS NOVIS EUCHARISTICIS ECCL. CLAR.

LXI.

Pulcrior albati procedite turma sodales,
Dia Parens Nati quos dicat obsequiis.
Quam bene caerulei abs humeris gestantur amictus.
Emicat et sancti tessera servitii!
Ista choris socios caelestibus inserit, illi
Portendunt, caelo quae manet apta chlamys.

DE BASILICA FAUSTINIANA CLARENSIUM.

LXII.

Mole sua quae Faustino fratrique Iovitae
Stat domus invictis jam sacra Martyribus,
Clarenses posuere, tholo magnisque columnis
Suspensam et picto parjete conspicuam.
Tantum opus haud dives, tamen est aggressa Vetustas,
Publica quod potior cura decusque foret.

DE VALETUDINARIIS CLARENSIBUS.

LXIV.

Regia quae surgit moles, crebrisque renidet
Luminibus, cui nam publica cura dicat?
Haec peregre languenti est, haec miserisque parata
E plebe, hinc morbus quos premit, inde fames.
Tale decebat opus neglectos; abditus horum
Sub specie quando vel Deus ipse latet.

TUMULUS VIRGUNCULAE.

LXV.

Pulcra Rhode hic niveo nuper tumulata sepulcro est,
Virgineo caeli virgo probata choro:
Parcite jam fletu sociae, jubet illa, puellae,
Et date purpureis mista ligustra rosis;
Nam mundi studium cultus brevis abstulit ignis,
Purior atque auris spiritus astra tenet.

DE CEPOTAPHIO CLARENSI.

LXVI.

Splendida te diae qua surgit Virginis aedes
Defunctum vita proxima septa manent.
Mitte leves curas: omnes cogemur eodem,
Victima quisque Orci nil miserantis erit.
Jam quid humi refert, an tu sublime putrescas,
Si nunc aurato symate prodis ovans?
Pulvis eris superas animus fac tendat ad arces,
Gaudebit solis hortulus exsuviis;
Et repetes pulcro spectandus corpore, quum te
Hinc virtus tollet iudice ad astra Deo.

ALOYSII LANZII.

DE ABSALOMO MORIENTE.

LXVII.

Dum vagus immissis fugit Absalomus habenis,
Fertur et ardenti pulverulentus equo;
Adspirant aurae, fluitantesque ardua quercus
Implicuit ramis, detinuitque comas.
Procurrit sonipes, celsa puer arbore pendet,
Hostis adest, tenerum trajicit ense latus.
Tum moriens, meus inquit, amor, mea cura capilli
Sic mihi pro cultu redditis interitum?

JOANNIS COSTAE.

DOCTRINA EXIMIA A D. ANTONIO SINGULARI MODESTIA OMNIBUS OCCULTATA.

LXVIII.

Assisii primum Francisco Antonius astat,
Et Patris austeros procidit ante pedes.
Excipitur velut ignotus, sociisque coacti
Agminis is cunctis creditur esse minor.
Nesciri gaudet doctrina dives opima,
Quam variis celat callidus ille modis.
Cuncti abeunt. Solus manet ille, ut inutilis unus,
Jussus in agresti sacra litare loco.
Munia quaeque humili laetus subit infima corde,
Et sperni magni nominis instar habet.
Huc huc, quos inflat ventosa scientia, adeste,
Et veri celsas noscite honoris opes.
Occulit in nebula vultum, sed majus ab umbris
Sol dabit egrediens, splendidiusque jubar.

D. ANTONIUS ECCELLINUM TYRANNUM OBJURGAT, AC TERRET.

LXIX.

Ne saevum propius, ne quaeso, accede tyrannum
Antoni. Ante oculos non homo, tigris adest;
Tigris adest caedes spirans, et funera: gressum
Retro age, ne subita te laceret rabie.
Nil Heros timet: horrendi tremulenta tyranni
Ora subit certa Numinis acutus ope,
Ille accedentem, et dio fulgore coruscum
Aspicit, insolito concutiturque metu:
Dicta pavens divina bibit, poscitque repelli
Auditas supplex corde micante minas;
Inde reus collo zonam sibi conjicit, et se
Sternit honoratos turbidus ante pedes.
Miles ne stupeas, habet hoc Antonius, illum
Ut quisque in terris aut amet, aut timeat.

JOSEPHI PETRUCCI.

IN CHRISTUM REDIVIVUM, MORS ET VITA.

LXX.

Quum Christus vitae e tumulo surrexit ad auras,
Mors vitae: nostrum cur tibi jus tribuis?
Illa autem: ob primi scelus exitiale parentis
Tu prior intuleras in mea regna pedem:
Nunc quoniam tute antiquum scelus ipsa piasti,
Ipsa ultro reddis quod mihi sustuleras.

B. MARIA VIRGO COGNATAM ELISABETHAM INVISIT.

LXXI.

Miratur natura, anus infoecunda quod alvo
In tumida insolitae pondera fert sobolis.
Sed mage miratus, thalami quod nescia Virgo
Fert casto aetheriam progeniem in gremio.
Ite agendum, agnatae conjungite gaudia matres,
Pendentes sermone altera ab alterius.
Caelestem tu progeniem gratare puellae,
Humano per quam parta salus generi:
Tuque anui sobolem, hanc sentit quae prima salutem:
Inque ipso gestit subsilens utero.

V. JOANNES BERCMANS S. J. ACCURATISSIMUS S. ALOYSII IMITATOR.

LXXII.

Quem sancte coluit Gonzaga, atque omnibus unum
Virgineum florem floribus antetulit.
Parthenidi moriens quum traderet, hunc tibi, dixit,
Intactum, ut dederas, Partheni, restituo:
Nec sine languescat; juveni sed porrige, qui te
Toto amet, et toto quem redames animo.
Berchmanti illa dedit, quo non magis alter amabat
Parthenidem, haud illi carior alter erat.

IN S. ANNAM VIRGINIS DEI GENITRICIS PARENTEM.

LXXIII.

Dixerit e sterili qui te genuisse puellam,
Anna, sinu, de te dixerit ille parum:
At si quis matrem te dixerit esse Parentis
Virginis, is majus dicere nil poterit.

SUB IMAGINE S. MARIAE MAGDALENAE JESU PEDES LACRYMIS RIGANTIS, ET CAPILLIS CAPITIS SUI TERGENTIS.

LXXIV.

His oculis quondam male cautos cepit amantes
Magdalis, his quondam crinibus implicuit.
Nunc hos atque illos meliores vertit in usus,
Anxia dum Christi procidit ante pedes.
Quos lavat ex oculis lacrimarum flumina fundens,
Passisque abstergit crinibus uvidulos.
Crinibus atque oculis sic quas suscepit, easdem
Delevit maculas crinibus atque oculis.

AD B. MARIAM VIRGINEM.

LXXV.

Ut quercum hanc validi certant convellere venti,
Illa autem nullo turbine victa cadit;
Usque flagrans noster sic in te, Virgo, manebit,
Ulla nec victus vi tepefiet amor.

V. JOANNES BERCHMANS S. J. ABSOLUTISSIMUM SS. ALOYSII ET STANISLAI EXEMPLUM.

LXXVI.

Non unus Lojolaeos fuit inter ephebos
Loisides puris moribus egregius.
Divinae flagrans non unus amore Parentis
In caelum arcessi Kostkiades moeruit,
Qua quondam super astra die vecta illa vetustam
Instaurat pompam et gaudia caelicolum.
Haec adolescenti post vitam puriter actam
Sors Berchmanti eadem contigit ex merito.
Jure igitur spectes si vitam dixeris illum
Loisidem, si fata ultima Kostkiadem.

ASPHALION B. MARIAE VIRGINI SERTUM LILIORUM.

LXXVII.

Crescere quae nuper redolenti vidit in horto
Asphalion foliis lilia puberibus,
Haec tibi decerpsit, sertumque ex hisce paravit,
Staret ut ante tuos, o bona Virgo, pedes.
Lilia pro quo illi haec (si fas est tanta precari)
Des candore animi vincere posse sui.

VINCENTII FUGAE.

EPIGRAMMATA IN S. ALOYSIUM GONZAGAM.

AD S. ALOYSIUM POETA RECENS A MORBO.

LXXVIII.

Nondum convalui, Lodoix, tamen haec tibi figo
Infirma quatuor carmina scripta manu.
Quod si restitues mihi vires, non quatuor, sed
Figam alacri quatuor millia scripta manu.

S. ALOYSIUS INNOCENTIAM SUAM POENITENTIA CUSTODIT.

ALLEGORIA.

LXXIX.

Myrrhea qua pandit spissos arbuscula ramos
Florem consevit vigineum Lodoix.
Æstifer ut campos quum Sirius urit hiulcos,
Illum frondoso protegat hospitio.

S. ALOYSIUS JUSSUS A DIVINIS REBUS MENTEM AVERTERE.

LXXX.

Ah caelestis Amor: mea ne amplius urere flammis
Corda tuis, prohibent nam sacra jussa, velis.
Sic Lodoix; cui divus Amor: te corpore solvam,
Atque, ubi sint isthaec irrita jussa, traham.

POETA AD TUMULUM S. ALOYSII.

LXXXI.

Pallentes cineri violas, et candida plenis
En, Gonzaga, tuo lilia do manibus:
Meque huc, luce tibi sacra redeunte, quotannis
Spondeo cum puris adfore muneribus:
Pro quibus efficias (fieri quando omnia summus
Quae tu cumque petis dat Pater usque) precor,
Ut quanto huic tumulo flexo sum poplite, tanto
Sidereo sedeam proximus axe tibi.

S. ALOYSII IMAGO LAEVA GERENS LILIA DEXTRA FLAGELLUM.

LXXXII.

Quae laeva, juvenis, geris, incorrupte, pudori
Quam bene conveniunt lilia cana tuo!
At quae flagra geris dextra mihi porrige: non sunt
Apta tuis quae sunt moribus apta meis.

IDEM ARGUMENTUM.

LXXXIII.

Cur ferulam, Lodoix, dextra, et fers lilia laeva?
Da ferulam mihi, te lilia sola decent.

IDEM.

LXXXIV.

Quam tibi, Loisides, sum dispar! sanguineam tu
In manibus ferulam et lilia pura geris.
At mea contra atro sordescunt lilia coeno,
Et ferula haud ullo tincta cruore nitet.

IDEM.

LXXXV.

Lilia sanguineis candentia mixta flagellis
Gestantem quisquis prospicis heic juvenem,
Ne stupeas: Gonzaga est hic; sanctumque pudorem
Ut vita serves asperiore monet.

IDEM.

LXXXVI.

Quod laeva niveum haud miror, Gonzaga, ligu-strum,
Miror quod dextra flagra cruenta geris.
Illud habe: mage nil illo tibi congruit; illud
Nam tua jure sibi postulat integritas.
Haec nostro nobis tingenda cruore relinque.
Nostra sibi haec merito postulat improbitas.

IDEM.

LXXXVII.

Signa pudicitiae, quavis quam sorde carentem
Servasti, tibi habe lilia, Loisides.
Ast, qui tam multis foedavì sordibus illam,
Loisides, pigeat ne dare flagra mihi.

AD S. ALOYSIUM, CUJUS CORPUS IN TEMPLO COLLEGII ROMANI COLITUR, POETA DEGENS IN DOMO PROBATIONIS AD S. ANDREAE.

LXXXVIII.

Nostrarum, Lodoix, observantissime legum,
Lex est, nullum extra degere posse domum.
Quare aut ne pigeat nostros habitare penates,
Aut nos in sedem, quam colis ipse, voca.

AMOR IN FUGAM ACTUS A S. ALOYSIO.

ALLEGORIA.

LXXIX.

Quum tenera in septo sese rosa proderet horto
 Exsuperans omnes una rubore rosas,
Vidit Amor, tenditque manum carpturus; at illum
 Sente ferit rigido, praecipitemque fugat.

S. ALOYSIUS NOCTU E STRATIS SURGIT MENTEM AD DEUM CONVERSURUS.

XC.

Dum placidos suadent labentia sidera somnos,
 Lumina Gonzagae non sopor ullus habet:
Sed genibus minor, atque obtutu fixus in uno
 Se desideriis tollit ad astra suis.
Deficiunt frustra vires; nam languidius quo
 Corpus, eo mentem fortior ardor agit.

S. ALOYSIUS INNOCENTIAE ET POENITENTIAE EXEMPLAR.

XCI.

Prodiit in dias Lodoix quum luminis oras,
 Adstitit Integritas et Metanoea Deo.
Integritas ait; hunc mihi da, Pater optime, et ex hoc
 Exemplum puero fingere posse mei.
At contra Metanoea: hominum pars maxima nostro
 Exemplo potius quam integritatis eget.
Tum Pater; ut casti exmplum incestique sequantur,
 Sit tuus, Integritas, sit Metanoea, tuus.

S. ALOYSII BEATA MORS.
PLACITA..... ERAT DEO ANIMA ILLIUS ETC.

Sap. c. 5, v. 14.

XCII.

Ille satus flos, halantique eductus in horto,
    Maxima cultoris gloria Loisidis,
Quem circum assidue vigilans studium omne locarat,
    Sentibus et late sepserat horridulis,
Ne teneras frondes foedus vel laederet hircus,
    Vel premeret duro rustica turba pede;
Æstibus in mediis jugi quem fonte rigabat,
    Ureret aestivus ne rabido igne canis:
Aurea spargebat quam rore aurora recenti,
    Mulcebantque suis flaminibus Zephyri;
Altius exseruit postquam caput, omnium et ad se
    Egregia vertit forma et odore oculos,
Forma et odore illum Deus ipse illectus in hortos
    Cum cultore suo transtulit aetherios.

S. ALOYSIUS LILIUM INTER SPINAS.

XCIII.

Leniter halantes ubi mordet Mincius agros,
    Lilium ut Idalius surgere vidit Amor;
Obstupuit, subitoque novo flagravit amore
    Hoc matris pulcro cingere flore comam:
Jamque manum admorat, sed laesam retulit; alte
    Septus enim rigidis flos erat ille rubis.

S. ALOYSIUS SPINEAM CHRISTI CORONAM REGIAE CORONAE ANTEFERT.

XCIV.

Hoc tibi dat, Lodoix, majorum gloria sertum
Auroque et gemma divite conspicuum:
Hoc tibi relligio, et Christi patientis imago
Dat rigidis sertum vepribus horridulum.
Elige quod mavis: elegit; protinus illud
Rejiciens pedibus proterit intrepidis:
Et capiti hoc aptans, facit, inquit, quod mihi vulnus
Non dolet, at fecit quod tibi Christe, dolet.

AD S. ALOYSIUM LACRIMANTEM.

XCV.

O qui nullo unquam maculasti crimine vitam,
Assiduis cur nam fletibus ora rigas?
Num me flere doces mea crimina? flebo, sed unam
Colligere ex istis me sine lacrimulis.
Ante oculos illam ponam noctuque diuque,
Exemplum fletus fiat ut usque mei.

S. ALOYSIUS INNOCENTIAM SUAM POENITENTIA TUTATUR.

XCVI.

Aspicis ut, vernas quum se rosa pandit ad auras
Sepitur circum vepribus horridulis,
Ne teneras frondes aut laedat edacibus hircus
Dentibus, aut duro rustica turba pede?
Haec est Loisidis facies, sic verbere flagri
Candorem assiduo protegit ille suum.

S. ALOYSIUS INNOCENTIAE SEDES.

XCVII.

Noxa homines unde ejecit vetus, exsul in horti
 Liminibus stabat, flebat et Integritas.
Nunc hos, nunc illos claros virtute videbat,
 Non sed ita integris moribus ire viros,
Sedem aliquam ut sese dignam reperiret in illis,
 Sedem, quae sedis damna levet veteris:
Quum videt insolito juvenem candore nitentem,
 Ut candore suo vix foret inferior:
Atque ait, inveni qua tandem in sede quiescam:
 Nam veteri haec similis, sin minus illa vetus.

S. ALOYSII TUMULUS.

XCVIII.

Mole assurgentem celsa quem suspicis: est hic,
 Flos juvenum Lodoix quo tegitur, tumulus.
Integritas ubi demissis per colla capillis
 Ereptum juvenem fletibus urget adhuc.

S. ALOYSIUS LILIUM INTER SPINAS.

XCIX.

Nectebat Matri vario de flore coronam
 Idalius, Minci qua fluit unda, Puer:
Lilium ubi praestans adeo surgebat, odore
 Ut flores forma et vinceret omnigenos.
Obstupuit, tenditque manum, sed retulit, illud
 Undique nam spinis septum erat horridulis:

Ex quibus improbuli pupugit postquam una Puelli,
Guttisque infecit sanguineis digitum,
Pol! memini, inquit, apem; ast hujus prae vulnere spinae,
Infigit quaevis quam leve vulnus apis!

DE S. ALOYIO INTER FLAMMAS ILLAESO.

C.

Jam medium caeli cursum nox atra tenebat,
Somno et Loisides lumina fessa dabat.
Ingens quum subito flamma exardescit, ephebi
Et violenta torum corripit innocui.
Tangere non illum tamen audet, ab aethere lapsis
Namque olim flammis ille cremandus erat.

S. ALOYSII INNOCENTIAM ET POENITENTIAM FONS PELLUCIDUS PER SAXA IN MARE PROPERANS REFERT, VIATOR ET FONS.

CI.

V. Saxa per et scabras cur semper, rivule, cautes
Praecipiti currens impete frangis aquas?
Ille viden' formosae ut eat per gramina vallis,
Et ripam leni stringat utramque pede?
F. Foedatas gregibus video et pastoribus undas
Se per limosas in mare ferre vias.
Ast ego pastorique gregique impervius ibo
Per purum currens in mare purus iter.

S. ALOYSIUS QUUM TICINUM TRANSMITTENS IN EO ESSET UT MERGERETUR DIVINA OPE INCOLUMIS SERVATUR.

CII.

Ticini Lodoix quum jam raperetur ab undis,
Adstitit e caeli vertice dius Amor.
Et Puerum servans, tibi non aqua causa perire,
O Lodoix: inquit, sed meus ignis erit.

LILIORUM S. ALOYSIO OFFERENDORUM DESIDERIUM.

CIII.

Hos inter licet omnigenos si lilia flores,
Illa tuae desunt signa pudicitiae,
Ne tamen abjicias, Lodoix: quae lilia nuper
Sevi vix teneros protulerunt calyces.
Spero equidem; emittent mox germina: ut ocius alte
Sustollant sese, nil ego non faciam.
Ast quum agris nunc deficiat sitientibus imber,
Languescant lasso ne capite ah timeo!
Oh, quae tanta tibi, Lodoix, dum vita manebat,
Parva mihi flendi copia siqua foret,
Flere diu vellem noctuque; iterumque rigarem;
Atque iterum illa meis lilia lacrimulis!

S. ALOYSIO MORIENTI
INTEGRITAS ET POENITENTIA ADSTANT.

CIV.

Vitales Lodoix auras dum linqueret, illi
Hinc Metanoea atque hinc adstitit Integritas.
Lis oritur geminas inter, morientis ephebi
Utra paret meritis serta decora comis.
Aliger e summa advenit quum nuncius arce,
Atque ambas juveni serta parare jubet:
Ambas qui primis, ait, est sectatus ab annis,
Ambarum moriens praemia digna ferat.

S. ALOYSIUS DIVINO AMORE CONSUMPTUS.

CV.

Aspicis in medio quum sol altissimus orbe est,
Vallibus ut languet flosculus in mediis?
Haec facies, haec est placide morientis imago
Loisidis, juvenem sic sacer ussit amor.

S. ALOYSIUS JUSSUS MENTEM A DEO AVERTERE

CVI.

Acrius extricare plagis quo cerva laborat,
Arctius hoc nodis implicat illa pedes;
Sic jussus Gonzaga Deum fugit; obvius illi
Sed fit eo propius quo magis ille fugit.

S. ALOYSIUS AD B. VIRGINIS ARAM VOVET SUAM VIRGINITATEM.

CVII.

Perge, puer, dixit volitanti mater amori,
Gonzagae faculis pectus et ure meis!
Nam mage vipereo caute me sanguine vitat,
Nescius ille meis cedere blanditiis.
Tunc volitavit amor, faceretque ut jussa Parentis,
Arripuit facili tela facesque manu.
Ast quum sacrantem seseque suumque pudorem
Ante aram vidit Parthenidis juvenem,
Victori fugiens sua tela facesque reliquit;
Ille tulit sacros Virginis ante pedes.

MATER S. ALOYSII AD EJUSDEM ARAM.

CVIII.

Cunctarum una vocor fortunatissima matrum,
Te in lucem, Fili o Sancte, quod ediderim.
Quid tamen hoc juvat? heu! nimium distamus uterque;
Terram ego, tu sedes incolis aetherias.
Ipsa equidem, si aulam non dedignatus avitam
Gessisses manibus debita sceptra tuis,
Pars ego fortunae tantae consorsque fuissem,
Nec tam distaret sors tua sorte mea.
Fac igitur, sorte ut tecum fruitura beata,
Fac ut laeta tuum tecum ineam solium.
Tunc merito dicar fortunatissima matrum,
Et laeta, ac omni ex parte beata parens.

TUMULUS S. ALOYSII.

CIX.

Et vitae asperioris amans, sanctique pudoris
Flos Lodoix situs est ille sub hoc tumulo.
Insons quisquis es ad cinerem hunc accede, piisque
Hunc precibus, flexis hunc cole poplitibus.
Criminis admissi quod si te cura remordet,
Ne tamen ah! ne alio te tua cura ferat.
Sed supplex roga, ut haud castum insontemque sequuto.
Et rigidum et flentem det tibi posse sequi.

HIPPOLYTI PINDEMONTIS.

RESECTA CAESARIES VIRGINI SE DEO VOVENTI SIC LOQUENS INDUCITUR.

CX.

Quod fatum crudele, manus quae saeva decentem
Memet dilecto e vertice caesariem
Hei mihi! tam cito disjunxit? Quo crimine quove
Errore hoc moerui; dicite, supplicium?
An quod me semper ferro patienter et igni
Exhibui, et centum nexibus apta fui?
Sed tamen a prima fueram tua cura juventa,
Exculta et primis sedulo ab unguiculis
Dulcia spirabam digesto unguenta capillo,
Sparsaque odorato pulvere semper eram.
Cur tua mutata est sententia? Forcipe scissa
Cur feror aereis nunc rapienda notis?
Haud aliter memini quondam doluisse resectam
E Bereniceo caesariem cupite.
Sed felix tamen illa! alta inter fulgurat astra
Dum sua mortalem vitam agitat domina.
Ast ego mortales erro dispersa per auras
Dum mea festinans astra petit Domina.

M. ANTONII MURETI.

INSTITUTIO PUERILIS COMPREHENSA VERSIBUS AD CAPTUM PUERULORUM, QUI PRIMIS LITTERIS IMBUUNTUR ACCOMODATIS.

AD MARCUM ANTONIUM FRATRIS F.

Dum tener es, Murete, avidis haec auribus hauri:
Nec memori modo conde animo, sed et exprime factis.
In primis venerare Deum: venerare parentes;
Et quos ipsa loco tibi dat natura parentum.
Mentiri noli nunquam mendacia prosunt,
Si quid peccaris, venia est tibi prompta fatenti.
Disce libens quid dulcius est, quam discere multa?
Discentem comitantur opes, comitantur honores.
Si quis te obiurget, male cum quid feceris, illi
Gratiam habe, et ne iterum queat obiurgare, caveto.
Ne temere hunc credas, tibi qui blanditur, amicum.
Peccantem puerum quisquis non corrigit, odit.
Qui semel incautum blando sermone fefellit,
Ille idem, dabitur quoties occasio, fallet.
Nec cuivis sapiens, nec ulli credere debet.
Fallitur alter, saepe fidem sibi detrahit alter.
Si quid forte mali aut facias, aut mente volutes,
Ut lateas homines, certe Deus omnia cernit.
Non nisi spectatis arcana sodalibus effer:
Quodque tacere voles alios, prior ipse taceto.
Nil cupide specta, nisi quod fecisse decorum est:
Turpia corrumpunt teneras spectacula mentes.

Averte impuris procul a sermonibus aures :
Et qui illis gaudent, horum consortia vita.
Principio studii radix inamoena videtur,
Sed profert dulces parvo post tempore fructus.
Ludo indulsisti ? subito evolat illa voluptas :
Legisti ? utilitas studio percepta manebit,
Ut moderata quies prodest, viresque ministrat :
Sic hebetat corpus nimia, ingeniumque retundit,
Si prodesse aliis studeas, tibi proderis ipsi :
At nisi ames alios, et te quoque nullus amabit.
Successus faustos numquam admirare malorum.
Sera licet, tamen olim illos sua poena sequetur.
Si tibi grata quies, juvenis ne parce labori :
Dux ad honoratam est homini labor ipse quietem.
Inspice te in speculo: et bona seu tibi forma videtur.
Moribus obscoenis illam foedare caveto.
Seu tibi subtraxit vultus natura decorem,
Ingenio ut formae compenses damna, labora.
Nil facito, quod turpe putes fecisse videri :
Et cura, ut multis tibi sis pro testibus ipse.
Ut nos pauca loqui, plura autem audire moneret,
Linguam unam natura, duas dedit omnibus aures.
Quae servare voles, ne crebro invisere parce :
Namque minus furem metuunt, quae saepe videntur.
Blanditur primo, sed perdit inertia famam :
Aspera res primo est, sed fert industria laudem.
Aut vinum ne tange, aut multa prolue lympha :
Cum vino indulges, igni puer adjicis ignem.
Fac tibi sit vultus comis, sermoque modestus :
Sic multos facile tibi conciliabis amicos.
Semper opum studio praefer virtutis amorem.
Non opibus virtus, sed opes virtute parantur.
Disce, et quae discis, memori sub pectore conde,
Aut facies, tantundem ac si cribro hauseris undam.
Irasci noli temere : nil foedius ira :
Quam quaecumque movere solent, ea temnere laus est.

Venti agitant celsis positas in montibus ornos,
A quibus in media tuta est arbuscula valle.
Sic et opes agitant majora pericula magnas:
Tutior angustos comitatur vita penates.
Pauca loqui puero, seu tempestiva, decorum:
Haec etenim ingenium res indicat, illa pudorem.
Scire cupis, quae sit famae via certa parandae?
Talem te praesta, qualem te poscis haberi.
Verbera non metuet, metuet qui jussa magistri
Haec qui contemnet, merito miser ille timebit.
Quam felix puer est, virtus in quo anteit annos.
Illum omnes meritis certatim laudibus ornant:
Et spectant cupide, et felicia cuncta precantur.
Et contra nemo alloquio dignatur inertes.
Spernuntur cunctis, et vulgi fabula fiunt:
Vix oculis pater ipse illos satis aspicit aequis.
Non tantum in praesens obsunt peccata: sed hoc plus,
Ad mala quod proclivem animum adsuetudine reddunt.
Quae bona sunt sectare: etiam si dura videntur
Principio, longus paulatim ea molliet usus.
Acceptum officium memora atque extolle: sed abs te
Collatum extenua, et potius sine praedicet alter.
Utilitas quoties pugnare videtur honesto,
Ne dubitare quidem fas est, quin vincat honestas.
Pauca quidem haec: sed quae studio servata perenni
Mirificos fructus progressu temporis edent.
Adspiret tantum coeptis Deus, omnia cujus
Consilio aeterno et certa ratione reguntur.
Quem tu et luce puer prima, cum strata relinquis
Impiger, et dulcem repetis cum vespere somnum,
Supplicibus facito places ante omnia votis,
Ille tibi, ingeniumque sagax, corpusque salubre,
Et multo meliora dabit: diffidere noli.
Tu modo ad illius semper refer omnia laudem.

HENDECASYLLABORUM
JAMBORUM
ET
ANACREONTICORUM.
LIBER I.

FRACISCI BERNII.

VOTUM,

Hanc quam cernitis hospites tabellam
Scriptam carmine non sat erudito
Olim cum mihi forte febris esset
Et lecto miser usque decumberem
Confessus macie periculosa,
Vovi scilicet integrae saluti,
Olim si modo restitutum essem
Votum solvere Virgini Parenti
Spectandum omnibus, omnibus legendum
Hanc tu nunc superi potens olympi
Regnatrix hominis parens, Deique
Virgo quam celebri vocatione
Praedicant modo febrium potentem
Hanc, inquam, tibi quidquid est tabellae
Scriptam carmine non sat erudito
Pro voto face redditam precamur.

HIERONYMI VIDAE.

CAELITIBUS VIRGINIBUS.

Caeli deliciae beatioris
Quid vos in Superum domo puellae
Tam multis rear actitare seclis?
Vos mi dicite, vosne sempiterna
Juvant otia, et usque feriatis
Cordi est perpetua frui quiete.
Dum vestros animos alit voluptas
Illa illa illius effluens ab ore,
Aspectu omnia qui beat vel uno?
An vos o potius juvat choreis
Indulgere, chorosque ductitare
Ad caeli numerum usque concinentis?
Vos o vos videor videre molli
Stellatis pede lusitare in hortis
Molles, lacteolas, venustulasque.
Quam vos quam juvat insequi usque amantem
Formosum placitae arbitrum choreae!
Quam vos carmina dicere usque amanti
Ductori placitae juvat choreae,
Qui quocunque oculos et ora vertit,
Haustis omnia amant repente flammis!
Quam vos quam juvat undique expetitas
Huic nescisse virum, huic necem subisse,
Pro nobis quoque qui integer peremtus!
Hunc ut sensibus intimis amatis,
Toto aut pectore deperitis unum,
Et vestro est in amore nil amarum,
Haec mihi dicite virgines. Sed unum est
Quod nunc vos aliud velim rogatas.
Id mi dicite puriter roganti,

Haec inter quid agunt mei ambo ocelli ,
Margarita rosa prior recenti ,
Et forma Pelage haud minus venusta ,
Quas nos plus oculis amamus ipsis
De nobis meritas bene , atque amantes ?
Ecquae illis aliae venustiores
In vestra choreae vacant corona ?
Ut o ut mihi nunc videntur ambae
Post caeli dominam , Dei parentem
Praelucere , aliasque praeterire
Subsultim celeris duce choreae.
En blando ut pede , blanduloque motu ,
Casto ut corpore castulisque ocellis.
Haec ut purpureo rubens in ostro ,
Illa ut candidulo albicans ligustro
Laetae virgineis utraeque palmis.
Salvete o simul aetheris puellae
Omnes aureolae , integellae et omnes ,
Nos interdum opibus juvare vestris :
Qui mortalibus ignibus calemus ,
Vestrae nos facis ustulate flamma.

STANISLAI CHICCOLI.

IN CHRISTI NATIVITATEM.

O nox candida nox diu cupita
Quid hoc tempore dulcius venusto;
Aut quid esse potest beatiusve.
Coeli deliciae puellus ille
Ille deliciae meae puellus
Tanto coelicolae quem amant amore
En nunc ortus adest, adest en ortus?
Non huic similis fuit per annos
Illum nec similem videbit aetas
Adsunt cui comites nitor decusque
Et chori caritum venustiores.
At vos interea notique et euri
Ac venti horribiles tacete et omnes
Abite ad gelidos procul triones:
Nunc redeat zephiri tepentis aura
Quae suaviter effluens cachinnis
Claudat rubidulos quiete ocellos.
O felix casula, o domus beata
Et centum domos omnium beata
Tu sola exigua tulisti in alvo
Artus lacteolos mei puelli
Carior mihi vel meis medullis
Aut si carius est meis medullis.
Salve sancta domus, domus beata
Sola quae phrigias virum columnas
Et regum superas domos potentum.
O nox candida nox diu cupita;
Quid hoc tempore dulcius venusto
Aut quid esse potest beatiusve.

IOANNIS BAPTISTAE ROBERTI.

AD JESUM RECENS NATUM.

O tenerrime delicate Jesu
Jesu o pupule pervenuste salve,
Jesu o floridule, immo pupulorum
Nitens floscule, verculum immo pulchrum;
O Jesu mea lux, mea atque vita,
Corculumque meum; meae et medullae,
Et dulcis lepor, aurea et voluptas;
Mel merum, ambrosia et mera, atque nectar,
Hasce blanditias amore plenas
Cantito tibi, mi puelle Jesu:
Quin tot pergam aliasque cantitare,
Quot pungunt stipulae pusilla membra,
Quot lactis nivei trahisque guttas.
At si forte loquacior videbor,
Molles auriculas tuas fatigans,
Quaeso fac sileam; tuas decentes
(Ni dictum videatur arroganter)
Praebe nempe genas mihi osculandas;
Et cara oscula sic bene, et beate
Garrula inpedient mihi labella.

DE VIRGINE MATRE.

Ut est candidum in hortuli recessu
Ignotum pecori, attamen matinis
Non ignotum apibus, favoniisque
Lilium redolens odore grato;
Ut est candida nix, quae ab axe spissis
Floccis lanea decidit, silensque

Et succrescit in aggeres tumentes;
Ut est candida, pura ut est columba
Nulla interlita discrepante naevo
Pennas lacteolas, eburneasque
Quas in splendidiore fonte vitro
Alis praetrepidans, micansque rostro
Lavat, munditiem suam lavando;
Ut est candida, pura ut est tenaci
Obdurata gelu alpium in latebris
Crystallus solido regens rigore,
Quae illinc eruta, molliterque dextra
Daedala artificis polita, candet
Attactus patitur novos diei,
Et solem bibit, et vomit nitentem:
Sic est candida; pura sic (quid ajo
Pura et candida sic? magis magisque
Millies decies magis magisque est
Ortu et moribus integris, Maria.

AD DIVAM ANNAM.

Dic jam jam Anna, parens bona et verenda,
Anna dic age millies beatum
Punctum temporis hoc, tulit quod almum
Tam fauste in gremium tibi Mariam.
Cum tenellula dein, perelegansque
Prodibit, nitidae velut rosae flos
Prodit, liliolique delicati;
Horam hanc dicere millies beatam
Memento. Hanc niveam auream hanc vocato
Dum mammam dabis, et suo adpetente
Suget pupula dulce lac labello,
Labello roseo corallinoque;
Millies quoties genis pudicis
Figes oscula dulciora melle.
Quid plura? assiduae in dies, et horas
Omnes hanc cane millies beatam
Horam: ex hac enim in dies, et horas
Omnes, quotquot erunt, fluet redundans
Bonumque omne, beatitasque tota.

SACRA VIRGO AD CELLULAM.

Salve, Cellula, et in tuum beatum
Sinum me recipe hospitem puellam
Iocundo hospitio quiete pleno.
Non splendes, fateor, superba luxu,
Non flores nimis elegante cultu,
Pavimenta tibi haud enim renident
Docte vermiculata laevigato
Picto emblemate; persico neque ulla
Pars strato obtegitur tapete. Pendent
Peristromata nulla, quae vigescant
Texto auro: neque vasa multa prostant
Argento solida, aspera atque signis
Caelatis bene, molliterque; fictus
Sinensi cyathus rota figuras;
Non illas lepidas refert figuras;
Non meis oculis imaginosum
Crystallo speculum obviam et micante.
Inter scrinia pulchra sumptuosa
Non latet muliebris hic suppellex
Quam paupercula, cellula, es-brevisque,
Sola munditie nitens decenti!
Qualiscumque tamen places; peruror
Et desiderio tui aestuoso
Nam mi cor salit; intus atque sanctis
Laeta deliciis meris, rigabo
Fletu dulcidulo genas, amanter
Et suspiria corde fundâm ab imo.
Jam jam limina tango, jam fero intro
Pedem: vos miserae improbaeque curae
Abite, haud licet ingredi, hinc abite.

AD JESUM.

In illa verba Prov.

Praebe fili mi cor tuum mihi.
C. 23. *v.* 26.

O Jesu bone, tam anxiae, ac tam amanter
Quare, dic mihi, cor petis meum a me?
Quid refert tua habere cor misellum
Tam miserrimi homunculi, atque inepti?
Porro, si dedero, quid ipse agens tunc?
Ne plectas, vereor, pusillulum cor
Immo projicias male inquinatum.
Antequam do, ineamus ergo pactum:
Tu blande excipe, et illico perure
Ingenti, penitissimoque amore,
Totum et deliciis perunge sanctis.
At at quid mihi nunc novi accidisse
Sentio? E medio sinu (sodales,
Testor, credite) dum moror, teroque
Tempus e medio sinu repente
Jesus eripuit meum mihi cor
Nescio qua ratione, sed beata.
O Jesu bone, mi venuste Jesu,
Unum quod reliquum est, rogo unice te:
Meum cor, quod habes, tene omne in aevum
Nec reddas mihi vel rogatus unquam.

AD IMAGINEM VIRGINIS MARIAE.

Quae post publicas Bononiensium supplicationes redierat ad collem suum.

ANNO MDCCLXX.

O Mater bona Mater invocata
Multum a me atque dies, et vocata saepe
Mel, atque ambrosia, atque nectar ipsum
Tu nosti probe, in hoc loco ut supinas

Tendens suppliciter manus utrasque
Nuper terque quaterque te rogavi
Anxia et trepida rogatione
Curarum miser aestuans tumultu,
Utrum lumine faveris sereno
Nec ne, nescio adhuc. Quid ergo agam nunc?
Namque tu hinc abiisti ad illud Arcis
Tuae difficile eminens cacumen.
O Virgo bona et alma, convenire
Non possum te iterum; sum enim (fatebor
Candide) sat obesus, impeditus
Quadam sarcinula gravi, tumente
Quam nulla abjicere est datum mihi hora,
Illam tradere et alteri ferendam
Quo me vertam igitur? quid est agendum?
Unum est consilium super; libenter
Hoc ego arripio, tibique mitto
Paucos hendecasyllabos loquaces,
Qui exiles, alacres, minutulique
Cursabunt pedibus citis vigentes,
Et dicto citius viam vorabunt.
Si vero referant mihi beati
Nuntium hendecasyllabi excupitum,
Tunc vocaberis, o Maria, rursum
Mel, atque ambrosia, atque nectar immo
Cor meum, mea lux, mea atque vita.

JACOBI BASSANI.

Ni te plus oculis utrisque amamus
Et plus una anima, tenelle Jesu
Qui nos plus oculis utrisque amasti,
Et plus una anima: (nam utrosque fletu
Pro nobis oculos reples, et unam
Pro nobis animam reples dolore)
O nos una anima carere dignos:
O dignos oculis carere utrisque!

IGNATII GUILLELMI GRATIANI.

Argute volucres genus canorum
Veris deliciae suavioris
Quae cum purpureo nitescit ortu
Matutina dies, modò hic, modo illic
Ad solis jubar usque pipilantes
Concentu vacuas repletis auras,
Quam vestrum recreat, juvatque carmen!
Vos rerum Domino, polique Regi
Grates ut referat, virum monetis
Cum primos animo jacit nitores
Exurgens ratio, Deumque nescit,
Qui solis nitidum creavit axem
Et vosmet volucres genus canorum
Veris delicias suaviores.

CAMILLI ZAMPIERI.

VINEA SACRARUM LITTERARUM.

Felix Vinea, vinearum ocelle,
Quam sevisse manu ferunt suapte
Herum ipsum, atque animi vocare caussa
Suas delicias suosque amores:
Felix Vinea! te corona circum
Sepit perpetuis opaca dumis,
Per quam frustra aditum sibi malignus
Inquirit caper improbique fures.
Pingue te saturat fimum, ac vigore
Implet praecoce: te cubantem aprico
In clivo tepidis recentibusque
Fovet sol radiis: benigna non te
Aura, non pluviae leves, nec ulla
Caeli gratia fallit adpetentem:
Felix Vinea centiesque felix.
Sed cur tempore, quo racemi ubique
Pendent aureoli, ipsamet nec unum
Quidem fers acinum? o pudor! quid istuc?
Tam ne ingrata? tui ne heri labores
Id a te meruere, ut hocce amaro
Fructu denique sint remunerandi?
Nempe: at par referet pari: impiis te
Heu heu perfodiendam apris et ursis
Tradet continuo, omniumque dicet
Te labem opprobriumque vinearum.

COLUMBA NOEMICA.

Ne te, si sapis, albula Columba,
Quae nimis propere domo e natanti
Prodis, immodico atque adhuc furenti
Ne te, inquam, pelago, columba credas
Non est, quo timidum queas parumper
Pedem sistere, quin luto atque coeno
Iuquines niveas repente pennas.
Quamquam ego id minimi reor putandum:
Nescis, si misere te inepta perdis,
Quid saecla inde queant referre damni?
In te una siquidem recumbit omnis
Pulcrarum soboles columbularum.
Ne te, ne pelago, columba, credas.
Quod si te pietas nec ulla tangit
Tui sanguinis, heu qui acerbus, heu qui
Tibi cor quatiet pavor tenellum,
Depressa quoties videbis unda
Semesos pecudum virûmque truncos!
Ne te, ne pelago, columba, credas.
Obscoeno haec placeant parata corvo
Laute prandia: tu genus bouarum
Apprime volucrum, et sueta mundis
Victitare cibis, quid inter altos
Sordium poteris comesse acervos?
Ne te, ne pelago, columba, credas.
At quum dira premet fames vagantem,
O senex bone, tum querere frustra,
Cur te, cur bone te senex reliqui!
Nimirum placitas amanter escas
Praebebas mihi: at hic perire certa
Cogor esurie: sed eja age eja
Ne te, ne pelago, columba, credas.

PROPHETAE NATAN PARABOLA.

Pauperis tuguri, simulque agelli
Cultor exigui fuisse fertur
Cui nec vacula, nec penus, neque arca,
Ne tripes, neque saculus, sed agna
Una atque unica erat, suomet ipse
Quam sibi tenui aere compararat.
Hanc magis nive candidum recenti,
Et mollem magis anseris medulla,
Idem nutriit anxie atque amanter
A parva ac tenera, usquedum puellis
Cum suis, veluti puella crevit
Illi mensa eadem, torusque pene;
Nec cibos alia solebat ullos,
E manu capere, aut solebat ullis,
Praeter quam Domini cubare in ulnis.
Felicem ter et amplius, ni iniqua
Fors olim bona tantula abstulisset!
Vicinus siquidem pecuniosus
Divesque oppido, cui trecentae in agris
Pascebant pecorum bovumque turmae,
Hospiti lepidam parare gratis
Coenam dum cupit, illius miselli
Dulcem, candidulam, diuque amatam
Unam surpuit impudenter agnam,
Mactavitque sibi, ac suis trecentis
Pepercit pecorum, boumque turmis.
O nequam! o scelus! o perire dignus!
Quam imbelli atque inopi ab nimis potente
Avaroque homine undique est cavendum!

EX FILII PRODIGI PARABOLA.

Pater summe, tuus protervus ille
Qui mentis nimio furore captus
A tuo tenero imprudenter olim
Sinu fugeret, en protervus ille
Jam tandem redit, en protervus ad te
Redit filius. Haud amore dignus

Tuo est, blanditiisque, gratiisque:
Decent morigeros probosque signa haec
Tantum filiolos. Satis sat illi,
Si gregi inserere ultimo tuorum
Voles mancipium: Satis, paterna
Si domo exignumque inutilemque
Illi siveris angulum patere.
Quid vero intueor? nunc imago ludit
Me falsa? o Pater! obviam benignus
Prodit mi Pater; applicansque collum
Meae dulcia ter quaterque fronti
Figit oscula: quicquid impie a me
Actum est in mare creticum impotenti
Tradit ferre Noto; anulum stolamque
Reddit, atque epulum jubet cupito
Pro nati reditu illico parari.
Quis patrem, rogo, quisnam amantiorem
Vidit? me lanient feri et rapaces
Lupi, me horrifico ac profundo hiatu
Terra devoret ante, quam benigni
Ab hujusce Patris sinu recedam.

AD DIVUM ALOYSIUM GONZAGAM.

Vides, ut vario usque et usque maerens
Angar aestu animi, obruarque pene
Ab furente cupidinum procella,
Vides, o bone Dive. Si beatas
Queunt res hominum movere mentes,
Afflicti miseresce, meque tantis
Salvum et incolumem eripe ex periclis,
Non jam illud rogo quod novum atque magnum
De te, Dive, ferunt, nihil malignae
Naturae vitiis subesse posthac,
Nec cupidinibus peruri ab ullis.
Excellens fuit hoc, tuumque prorsus
Insigne, atque itidem trium, aut duorum
Quos Rex Caelitum inusitato amore est
Complexus. Sat erit mihi, sat unum hos
Inter praelia tot tumultuosa
Gonzaga alme, tuo favore niti:

Ne vincar . quid erit mihi timendum,
Te juvante ? Nihil. Fera ergo bella
Bella inferte , agite, o quot estis hostes
Quotquot undique quotquot estis hostes
Hoc juvante nihil mihi est timendum.

B. VIRGO CUM INFANTE JESU AD TEMPLUM.

Summi limina dum verenda templi
Trañfers candidulos pedes, foresque
Subis , o penite venusta , quo te
Dicam nomine ? Virginem ne dicam ?
At quam sollicitis tenellam in ulnis
Gestas sarcinulam, ille dulcis ille
Infans qui roseo ubera expetiscit
Labello , esse suam te ait Parentem
At his virgineo modestus ori
Insidens pudor , et beata ocellis
Lux manans ait, esse virginum te
Omnium decus , omniumque florem.
Dic jam dic age si neque hoc , neque illoc,
Quo te cumque modo voles vocari.
O tibi egregie, ampliterque factum !
O caeli favor ! o quod ulla monstrum
Certe nec tulerunt , ferentve saecla !
Virgo nam simul es, simulque mater.
Servato , siquidem pudore mater
Fecundoque sinu reperta virgo.

AD D. CAMILLUM DE LELLIS.

Qui tuum mihi prodeunti in auras
Vitales posuit , Camille , nomen ,
Is tum nesciit aridum , atque ineptum
Ac prosus nihili tibi parari
Clientem. Hei mihi , male hocce dignum
Nomen impleo ! quam male inclytarum,
Quibus prae reliquis ubique fulges ,
In me nec minimam referre partem
Virtutum studeo ! Assidere magno
Aegrorum numero , et tenella natis

Mater depositis, eisque lucta
Opem tradere in ultima hoc perenne
Sensisti officium; quid ipse vero?
Bis septem superis misellus ipse
Auctus filiolis gemo, quaerorque,
Duro proh! nimis ac laborioso
Me gravari onere: an tua hoc profecto est
Hoc ne exempla sequi? o Pater superna
Da tu ad judicia hunc meum rebellem
Conformare animum. Tuus ne esse,
Nec dici ipse aliter queam, efficacem
Nec te habere aliter queam Patronum.

HERCULIS FRANCISCI DANDINI

COMITIS ET PATRICII CAESENATIS.

DE NOBILISSIMA PUELLA CLARANIS VIRGINIBUS ROMÆ NOMEN DATURA.

Eductus superas venuste ad auras
Flos in frugifero superbus agro
Surgebat, reliquos odore vincens.
Conjunctim niveus color, rubensque,
Ros una, et nitidis pruina gemmis
Ornabant tremulum caput decorum.
Cum tam excellere flosculum videret
Prae cunctis Dominus sibi excolendum,
Et septo in spacio putat locandum.
En ut jam tegetes tenella arundo
Conflat molliculis revincta virgis,
Quadrata ostiola attamen relinquit,
Per quae splendiduli sui nitoris
Flos gratam speciem dat intuenti;
Sic virgo egregias secuta avorum
Virtutes animo satis potenti
Celsa in Lantiandum domo micabat,
Praestans inclyta caeteris puellis,
Quas virtus rutilâ beat corona:
Hanc rerum Pater haud sinit manere
Una cum reliquis: loco reponit

Sejuncto, uberius bonis ut auctet
Reddens cottidie venustiorem.
Virtuti tandem abditi recessus
Famam non minuent: procul vagari
Quam late poterit; patere ut inter.
Cratem flos nitidus potest ocellis.

AD VENETAM PUELLAM QUÆ OPTIMIS DISCIPLINIS INSTRUCTA VIRGINITATEM DEO VOVIT.

Falsus qui teneris negat puellis
Doctrinae studia insequi licere,
Musarum viridi caputque lauro
Pulchre cingere, nomen et virorum
Aequare et decora: impie vetantur
Ipsae, quae ingenio vigent acuto;
Nam nec sunt animo minus potenti,
Nec differt cerebro viris puella.
Sit claro indicio puella nuper
Fulgens nobilis Adriae per oras,
Haec linguam Latii tenet venuste,
Haec quam Gallia protulit, lyraeque
Aptavit digitos favente Phoebo:
Quae nunc Coelicolum vias remota
Per claustra ingreditur, sacratque coelo,
Hujus munere quas sibi paravit
Dotes ingenii: quibus reliquit
Post se femineum genus, virosque
Non paucos etiam elegantiores.
Inter dum reboat, micatque nubes
Ignis terribili minax tumultu,
Percellit timidam pavor columbam,
Quam sese ad patrium refert cubile
Confestim, reputans sibi paratas
Instare insidias, ferum et periculum
Mortis; sed patrio dum inest cubili,
Jam ponit nimio modum timori;

Jam sensim egelido calet tepore
Cor, jamque insidias timet nec ullas:
Sic, Virgo sapiens, fugis quietum
Ad claustrum, atra ubi nec valebit umbra
Adfectus animi, ignis et medullas
Exedens teneras caduco amore;
Nil quorum poterit metu movere
Pectus jam validum, locoque tutum.

DE VIRGINE MARIA TERRIS DISCESSURA.

Falso credideras subesse legi,
O mors dira, tuae haec beata membra,
Falso perdere et inclytos ocellos
Te posse: obstupuit parens vel ipsa
Natura; haec ubi legibus soluta
Humanis peperit Deum, virumque,
Flore virgineo haud ferente labem:
Haec certe superum est decus puella:
Exlegem voluit potens creator.
En cur (et memini) beata membra
Sumpsit vix animus, statim recepit,
Fugitque in tenebras remotiores
Culpa Adae metuens sinum Puellae.
O mors, te pariter decet vereri
Haec membra inclytos, et inclyta ocellos
Sunt haec coelituum locanda sede
Membra jam modo; non die supremo
Squallenti revocanda sunt sepulchro.
Erepta ex manibus tuis serenas
Subducit celeri volatu in auras
Cohors Aligerum beati olympi:
En sol, sydera luce vestiuntur
Nova, quam cumulat decor Puellae:
Locatur Genito propinqua Mater:
Splendet post Genitum nitore primo:
Rebus post Genitum imperat creatis.

FRANCISCI CONTOLI

ALOYSIUM GONZAGAM MATER HORTATUR, NE FLAGELLIS VERBERIBUSQUE IN SE IPSUM ACRIUS DESAEVIAT.

Parce molliculos nimis severus
Artus excruciare: quid piandum
Succurrit tibi, cujus ista cunctis
Iam notissima pars virentis aevi
Ducta est integre, et absque labe? corpus
Illos assidue domare flagris,
Et longa decet esuritione,
Quorum pectore foedus urit ignis,
Et depascitur intimas medullas.
Alatus veneris Puer marinae
Telis, lethiferoque doctus arcu
Pugnare, et faciles referre palmas
Nescit laedere te, tibique cedit,
Seque viribus imparem fatetur.
Hinc nullae insidiae, tibique nullum
Vulnus vel leve ab hostibus timendum
Illis, qui miseram molestiores
Vexant, et male habent juvenculorum
Vitam, servitio oppprimuntque turpi.
Tu virtutibus omnibus decorus
Incedis; tibi singulae ministrant,
Certatimque juvant: operte scanno
Albo cana fides, bonaeque mentis
Indivisa comes manus timori
Spes victas dare nescia: inter omnes
Longe clarior emicat, chorumque
Ducit innumerabilem sororum
Divini Pietas faces amoris
Admovere animo, novasque gaudens
Usque, et usque sinu implicare flammas.
Quare molliculos nimis severus
Artus excruciare parce: Mater
Hoc te flagitat, acribusque verbis

Instat; namque modo ad fores cubilis
Per rimas speculáta tunsiones
Hausit aure; cruoris et tepentes
Manare ex humeris misella rivos
Cernens, in lacrymas abire coepit,
Luctu perdita nec genis pepercit,
Nec crines lacerare dissolutos.
Isti tu poteris bonae Parenti
Vim tantam ingerere intimi doloris?
Iram molliculos nimis severus
Artus excrucians mori ante tempus
Coges? teque ferunculus tuamque,
Audebis simul enecare matrem!
Di factum prohibete tam nefandum!

LAURENTIO FUSCONIO.

POETÆ . ORATORI . PHILOSOPHO . THEOLOGO . MORUM SUAVITATE . INCOMPARABILI . QUOS . ILLE . VERSUS . DE VIRGINE . CLAUSTRUM . INGRESSA . AB . AMICO . QUASI AQUAM . E . PUMICE . IN . IPSO . FORI . AESTU . EXPRESSIT CAIETANUS . MIGLIORE . SUÆ . ERGA . ILLUM . VOLUNTATIS TESTES. D. D. D.

Nicem vidit Amor puellularum
Inter agmina multa, ut inter ignes
Micat candida luna, quum tacet nox;
Subdolisque jocis, facetiisque
Vultum Nymphae imitatus elegantis;
Mea o lecteola, inquit, alma virgo,
Male est, crede mihi, et laboriose
Totos usque dies puellularum
Flosculum in gremio jacere matris;
Sed tristes animi levare curas,
Et solatiolum decet laborum
Post pensum capere, occidente sole.
Nec longe hinc vaga villula ad Favoni
Flatus opposita est suaviores,
Qua nil laetius est, beatiusque,
Nam veris comites siticulosam
Aestatem hinc prohibent et usque amicae
Temperant animae suaviores.
Huc dum fila trium sinunt sororum,
Ac dum res patitur, tenella et aetas
Huc mecum venias deambulatum.
At at callidula hic caput reflectens,
Haerensque ad latus: en eamus, inquit,
Quocumque ire velis, comes parata.
Novas insidias sed instruentem
Novis pupula et artibus fefellit.
Dumque iter peragit modo huc modo illuc

Voti compos Amor sibi usque plaudens,
Se in vicina Nice repente claustra,
Quo nullis aditus patet profanis,
Victrix propositi abdidit triumphans;
Et dulces comitum valere coetus
Jubens; callidulum dein amorem
Impune omnibus excipit cachinnis
Quotquot sunt lepidis, nec invenustis.
O factum bene! o Amor miselle!
I nunc si potes, et sacris silentiis
Aude ferre pedes, amor profanos.
Frangas immo, puer, male ominato
Quae geris latere ustulanda tela,
Frangas et jaculis gravem pharetram.
O factum bene! o Amor miselle!

DE DEIPARA SINE LABE CONCEPTA

PRO NEAPOLITANA ALETHINA COLONIA.

O rem perlepidam, o nimis venustam!
Ille anguis maculosus, anguis ille,
Qui nostros pede ter quater superbo
Usque turgidus ambulabat agros,
Quod cunctis miseram necem parasset,
Ruinasque graves, dolos veneni,
Et casus alios periculorum,
Nunc blande nimis ac nimis Puellae
Plantis conteritur miser tenellis,
Totos dedecus ut dein per annos
Impressum sedeat, nec eluatur.
O rem perlepidam, o nimis venustam!
Nostra ergo tumidus per arva tanto
Posthac desinet ambulare fastu;
Et haud vulneris immemor recentis
Tacebit veteres dein triumphos.
At tu deliciae, leposque saecli,
O ter atque iterum, Puella, salve:
Tua namque opera anguis ille nostros
Fastu desiit ambulare campos:
O rem perlepidam, o nimis venustam!

STEPHANI ANTONII MORCELLI.

DE AMORE DEI NOSTRI ET INGRATO HOMINUM ANIMO.

Pulcrum cor Domini, vides ne, ut intus
Extraque ardeat aestuante flamma?
Pulcrum cor Domini, vides ne, ut alte
Mucrone lacerum fero patescat?
O gens dura hominum et mala impiorum!
Sic te nempe Deus cupitque amatque,
Sic tu illum male vulneras amantem!

D. MICHAELI ARCANGELO.

In beneficio crede non vides omnia:
Plaudis, quod aegrum Michael morti surpuit
Ægrum Damona mortis ipso in limine.
At plaude quaeso magis, quod interitum
Damon superno auxilio aeternum fugerit.

IN EFFIGIEM D. N. JESU COR SUUM REVELANTIS.

O quot sunt hominum et fuere eruntque
Alme idem Pater et salutis auctor,
Dic, cur pectore nos jubes retecto
Cor nunc flammiferum tuum intueri,
Ipsum illud veteri anxium labore,
Perpessum omnia dira, ne tuorum
Quisquam perpetuo periret igne?
Hoc volo, se homines sciant amari,
Se adhuc, immemores licet malique

Ingratam Domino vicem rependant:
Volo ut toto animo pioque corde
Unum me adspiciant amentque, et unum
Jam patrem colere et vocare discant.

PERPETUA MARTYR CLARISSIMA.

Quid spondet sibi, quidve plaudit amens
Laudi plebs inimica Christianae?
Victrix Perpetua est, nec una palma.
Plures magnanimae obtigisse, testis
Carthago, oraque testis Africana.
Prior cessit huic Deo adprobante
Libertatis amor, famesque victa
Inter squalida vincla, carcerisque
Profundi tenebras: dein malorum
Haud ullum potuit timere tanta
Virtus relligioque: non dolorem,
Dirum aut supplicium igneasque taedas.
Factum est postea durius periclum,
Vis sit quanta animi, viraginisque
Quid pectus valeat: senex repente
Jubetur lacrimans parens adesse,
Ac moerens genitrix simulque fratres
Et matertera parvulusque natus,
Haec num tangere, sanguine adloquente,
Possent, propositoque dimovere.
Jam flebant miseri, atque perrogabant
Ad priscos sapiens Deos rediret,
Ne se ne sua perderet domumque,
Neve canitiem patris verendam
Nata olim pia laederet, feroxque
Auderet puerum innocentis aevi
Mater ipsa necare vagientem.
Vicit dius amor tamen, nec almum
Liquit consilium emicans virago,
Usque certa mori, Deoque pignus
Hoc uni dare debitum, fidem quo
Praestaret mage Numini obligatam.

MARTYR AGAPE EXORATA POSCENTIBUS ADEST.

Exorata Agape quid alma possit,
O cives quot adestis hospitesve,
Suspensis paries vel hic tabellis
Monstrabit, titulique condocebunt.
Abjecto en modo scipione claudus
Discessit saliens: puer recepto
Risit lumine laetus ad parentes
Mox alter scabie exilit relicta.
Hic liber capitis dolore gaudet,
Angores animi ille deposivit.
Insanos pepulit puella amores,
Vafri edocta dolum malum institoris.
At matrona virum beata frugi
Recepit, sterilisque sponsa prolem.
Qui perget precibus rogare sanctis
Haud unquam periisse vota noscet.

IN ADVENTU AGAPES MARTYRIS.

Ite jam, pueri, obviam: Patrona
Caelesti venit ipsa ab urbe Roma,
Clarensisque Agape futura gentis
Spes ingens columenque civitatis.
Jam vexilla, agite, obviam explicate:
Vos primum Domina appetit videre
Bonos, innocuos, pios, pusillos,
Ipsa quos avet educare caelo
Rectis moribus et pudore dignos.
Currum ne adspicitis novum, rubentem?
Sancta adest Agape: invocate sanctam,
Nulla vox sileat: venit magistra
Virtutis, venit optima eruditrix,
Quae totam regat ut parens juventam.

Grandaevus meminisse vos juvabit,
Pacem quod Dominae advenae precati
Cohors dixeritis prior salutem.

AGAPE MARTYRI.

Dum discordia perfidos tumultus,
Bellum et classica nunciant sonora;
Hos inter fremitus gravesque motus
O nostros, Agape, tuere fines,
Huc quae Romulea volens ab urbe
Servatrix ades, incolaeque more
Jam civis studiosa, jam Patrona
Dici et esse libens amas clientum.
Pax si manserit hic, tuamque dextram
Hostis si metuet, sacro hic peracto
Laudes laeta cohors tuas canemus:
Latique auxilii tabella testis
Dicet hospitibusque posterisque,
Tua rursum ope Clarium stetisse.

DE ALTARI VALETUDINARIORUM CLARENSIUM.

Sublimis gradibus, decora septo
Ara marmoreo infulisque pandis,
Multo perlita quae renidet auro,
Sacra haec, alme, tibi stat omne in aevum,
Nutritor pueri Deique nostri
Josephe; auxilium ut feras benigne
Hinc atque hinc miseris, acerba febris
Quos urit, laterisve qui dolore
Languent anxifero, et tuum silentes
Nomen ingeminant, opemque poscunt.
Praesens, namque potes, fove clientes
Quos receperis: aut dies supremus
Si cui jam imminent, hunc age in beatas
Tecum infer patriae perennis arces.

MARIAE HOSPITI SACRUM.

Salve Hospes bona, salve amata Elisae,
Volens gaudia quae domum attulisti,
Virgo una atque Parens: dicat merenti
Hanc aram tibi, debitosque honores
Alexis tuus, a gravi periclo
Sospes munere de tuo vocata
Quae praesens misero adfuisti, agenti
Sic praesens animam rogata adesto.

DONARIUM PUBLICUM.

Jamdudum bonus inde Gallicanos
Dum procul populos Pius beabàt,
Vota suscipiens Deum rogarat
Saepe Romula Gens, sibi ut Parentem
Donaret reducem, perenne, voti
Jam compos, statuit Deo potenti
Illa hoc mnemosynon, jubetque seros
Concessi meminisse vel nepotes.

MATER PRO PAULLO FILIO ANIMAM AGENTE.

Olim ut Troade lapsus e fenestra
Confestim puer Eutychus revixit,
Magne o Paulle, tuis receptus ulnis,
Et moestae illico redditus parenti est;
Adsis, namque potes, meumque serva
Sic praesens puerum, tuo vocatus
Qui te nomine jam cliens patronum
Clamat semihiantibus labellis:
Servabis simul ipse tu parentem,
Mox quae sit tibi redditura grates.

VOTUM CURIONIS DESIGNATI.

Dum castam veterum fidem et pudicos
It mores mala perditum voluptas :
Argenti sacra dum fames et auri
In praeceps populos rapit, quid orem
Heu custos modo ego datus pudoris,
Quid supplex voveam, ruentis almi
Tutores patriae clientiumque,
Jam caelestia regna qui tenetis ?
Si tangit pietas, probam impetrate
Mentem quaeso animumque tot misellis,
Quos transversa agit impius cupido,
Fraudes quos perimunt amorque habendi
Hoc refert : agite o boni volentes,
Voti reddite compotem : nitebunt
Haec novo decorata templa cultu,
Et multo redolebit ara thure,
Quum vestro resonabit invocato
Ædes nomine grata laudibusque.

PRO AMICO ABSENTE.

Audi vota, Agape benigna: cultor
Ille namque tuus, tuaeque sollers
Custos ille domus, sodaliumque
Antistes mihi dulcis optimorum,
Abest jam nimium diu ; magistro
Et se posse negant carere tanto
Quot praestant pietate moribusque.
Maturum reditum (quid heu moratur)
Olim pollicitus: jube o redire,
Quippe is imperium tuum veretur.
Veris instar erit redux, diesque
Tuo a munere pulcrius nitebunt.
Nos laetos hilaresque nuncupata
Multis cum precibus pioque thure
Rite solvere vota pervidebis.

PYRAMIS DEO DICATA.

Sit haec Pyramidos superba celsae
Quae surgit facie triplex rubenti
Moles et proprior tuetur astra,
Sit uni sacra Numini, quod unum
Novimus colimusque christiani:
Omnes relligio una quos beato
Junxit foedere jamdiu, et profanis
Secretos sibi alit fovetque alumnos.
Sub hac condidimus Jovem, Saturnum,
Plutonem, Venerem, Evium, gemellos
Fratres Mercuriumque conjugemque
Jovis cum Berecynthia atque Vesta
Neptunoque patre, Herculem, Minervam,
Martem Mulciberumque Apollinemque,
Dianam, Cererem et novem Camoneas,
Ac quidquid male somnians Deorum
Graecia extulit et furens Canopus.
Æternis Satanae procul jubemus
Hinc te progeniem ignibus cremari,
Extorrem patriaque sedibusque,
Quae nos perpetuum manent in aevum.

DE MENSA EGENORUM CLARENSI.

Clarensis colat usque plebs benignos
Majores, celebretque praedicetque:
Gratiam referet tamen minorem,
Quam ipsa debeat aut habere possit.
Namque auctoribus hisce sat valere
Vobis est, miseri, datum superque.
Per hos fert thalamum viro puella
Quum nubit: puero aucta perrogatis
Gaudet fasciolisque linteisque.
Accrevit nova si deinde proles,
Suus mox pueris torus, puellis
Sternitur suus, ut domum pudicam
Servent adsidue parens uterque.
Alget frigore quispiam? huic lucerna

Candenti dabitur decora panno.
Famis ne metuas pericla, cautum est:
Flavae copia nam parata pultis
In promptu: pueris schola et magister
Non deest, elementa quisque prima
Ut discat: potiore si per artes
Quis doctas velit enitere laude,
Hic ludum quoque habebit atque libros.
Haec juvet meminisse, avisque grates
Et grates proavis pii rependant,
Tuta quorum alitur vigetque vita.

DE GYNAECEO MARIANO CLARENSI
PUELLIS A PUPILLATU INSTITUENDIS, TUTANDIS DESTINATO.

Quas nunc, perfugium, bonae o puellae,
Vestrae cernitis orbitati apertas
Ædes, lanificoque textilique
Probe aptas operi artibusque, quales
Magis nosse decet bonas puellas;
Hasne carceris instar autumetis
Vestram in perniciem dolo paratas,
Libertas ubi vestra conticescat
Plagosa misere arcta sub magistra?
Eja, consilium paterni amoris
Catae noscite, patriamque amate
More munificam novo Ulpiano,
Quae vestro et vigilans studet pudori,
Dum vitam miserans alit tenellam:
Hinc vos ad thalamum probas, pudicas,
Partae munera dotis afferentes,
Ut mittat, societque cum beato
Laetas conjuge cognitaque socru.

PUERI MORS INNOCENTIS.

Elatus modo Faustulus, frequentes
Cui circum pueri adstitere; funus
Fletu omnes lacrimisque prosequuti,

Hic situs socios fluentis aevi
Paucis imbuit admonetque verbis :
Vita hac, credite, cedere innocentem
Nil mali est; potior beatiorque
Quippe hanc consequitur, modumque ponit
Ærumnis, siti et esuritioni;
Hoc malum est male vita abire sontes,
Turpes sordibus, oblitosque coeno :
Vita quam sequitur flagrantis orci,
Ubi perpetuo ustulatus igne
Nequicquam fremit impius furitque.

DE RECTA VIRGINUM INSTITUTIONE.

Prolis quae geminae parens Elisa,
Virtutisque eadem tenax avitae,
Filias vidua educavit, ambas
Matri persimiles, probas, pudicas,
Nec cultu nimio leves, nec omni
Neglectu horridulas : domique jussit
Solas discere litteras et artes,
Quas novisse decet bonas puellas :
Quonam ego in numero ista censeatur ?
Haec princeps mihi jure maximarum
Sit matrum, omnibus una praeferenda
Matronis, melior, vel extitisse
Quas aetas perhibet, vel hinc futura
Si quas forte ferant probentque saecla.
Quippe hanc munere cogitare functam
Debes praecipuo : Deoque digna
Prole hac in gemina obtulisse dona.

DE TRANQUILLO RELIGIONIS PRINCIPATU.

Nae longo nimium abditam dolore
Heu te, Relligio, dolemus, una
Quae mortalibus imperare digna es !
Age, o sancta, salubris innocensque,
Ingratis, age, prodeas latebris,
Mole pulcrior, ut soles, laborum,
Tristi et reddita fortior procella :

Tuos ipsa potes beare amicos,
Dives eloquioque splendidisque
Doctrinae monitis vetustioris,
Bisseni docuere quam magistri,
Deo primitus auspice instituti.
Eja nunc cupidos fovere cives
Tempus: Pax tibi jam viam praeire
Ut gaudet! populusque voce quantus
Et plausu ingeminat tuum usque nomen!
Vultus si tuus emicet, tenebrae
Jam procul fugient, fides redibit
Culpari metuens, pudorque tecum,
Virtutumque chorus sequetur omnis.
At nobis reducem locare mens est
Reginam solio, tibique in aevum
Servire imperio tuo beatis.

QUID IN HAC VITA MALUM.

Peccatum reor esse, non malorum
Unum forte aliquod tot inter, olim
Quae terrae incubuisse perferuntur;
Sed solum merito unicumque habendum,
Quo necesse hominum genus perire,
Flamma et perpetua ignibusque aduri.
Nam quae nos mala dictitamus esse,
Semper recti aliquid ferunt bonique.
Durum pauperies docet laborem,
Atrox excitat hostis otiosos;
Contemptu ingenia appetunt honores:
Cautos reddere languidos solere
Febris dicitur ipsa: visque dira
Me interdum podagrae facit poetam.

QUID SERVARE VIRTUTEM POSSIT.

Nosti hunc a puero? pudicus, insons
Vixit, flexanimus parenti utrique,
Nunquam non aderat vocatus: idem

Addictus studiis, piusque Numen
Colens obsequio domi forisque.
Nunc jam grandior optimaeque frugis,
Non ulli gravis, utilisque multis
Qui tales potuit merere laudes?
Paucis expediam: in malos ne abiret
Mores, in vitiumque laberetur,
Unum hoc, principiis cupidinique
Forti ubique animo obstitisse, fecit.

DE FALSO AMORE VITAE.

Centenos Lycidas habebat annos,
Sero denique traditus sepulcro,
Nec satur tamen, addere his volebat
Unum si potis esset alterumque.
At hoc si tibi Numen adnuisset,
Senex sordide, tertius subinde
In votis foret: an Deum hoc amare est?
Hoc et perpetuam beatitatem
Qua par est prece poscere atque velle;
Quum caelo hic miseri exsulemus omnes,
Nec sit altera patria expetenda?

UBINAM BENEFICIA A DOMINO DEOQUE NOSTRO PETENDA POTISSIMUM SINT.

Vos o, queis pietas et alma cordi
Adhuc relligio, huc adeste, dives
Ubi auro nitet ara; vel frequentes
Manet vos Dominus Deusque, vestras
Ut preces bonus audiat, piorum
Ultro hic, credite, supplicumque votis
Favet, ceu propria adnuitque in aula.
Ipsum quippe amor impulit, misellis
Hic ut adforet usque, nec roganti
Opem aut subsidium negaret ulli.
Nempe illi imperium Pater supremum
Jampridem ipse dedit, quod aut olympo

In alto velit, aut patrare terra,
Unus ut valeat, regatque cuncta.
Ne tantae tamen iste dignitatis
Splendor incutiat metum, vocantis
Majestatis Domini latet, sed ipsa
Omnino bonitas latere nescit:
Vestros quin animos beare gestit,
Et novis cupidos juvare donis,
Regiam quoties in hancce vestrum
Velit quisque venire supplicatum.

VINCENTII FUGAE.

AD FLORES, UT DIVINO INFANTI CUNAS COMPONANT.

Herbulae o tenerae atque mollicellae,
O pulcherrima caltha fulgurante
Auro splendidiorque pulchriorque!
O magis nive candidum ligustrum,
O rosae violaeque purpuratae!
Tuque o conspicue hortulorum ocelle,
Anethum redolensque, flosculisque,
Quotquot Thessala nutrit ora, cunctis
Quamvis suavibus elegantibusque,
Longe suavius elegantiusque!
Et vos quotquot in hortulis hiatis,
Quot quot in viridariis amoenis,
Flores luteolique caerulique, et
Albi et purpurei, quot estis omnes,
Currite et properate ad illud antrum,
In quo candidulus tener Puellus,
Quem nuper genuit pudica Virgo,
Cogitur paleas super rigentes
Collocare latusculum tenellum:
Ite, currite flosculi, et Puello
Huic cunas facitote molliores.
Vosque illinc paleae rudes abite
Vestris cuspidibus cum acuminatis,
Quae sunt vepribus omnibus, rubisque
Lappisque, et tribulis molestiores.

AD PALEAS PRESEPIS DIVINI INFANTIS.

Vos o, vos palaeae, quibus Puellum,
Puellum omnibus hunc venustiorem,
Hac sub rupe datur fovere, cunctis
Vos estis, paleae, beatiores,
Quotquot sunt, violis, rosis, ligustris.
Namque hunc e Superum plagis, sinuque
Æterni ipsius e Parentis ad nos
Delapsum, et fragiles coactum in artus
Humanas genuit Parens in auras,
Parens, atque eadem pudica Virgo.
Ah! tamen, moneo: cavete vestrum
Nequa admordeat, aut premat tenellum
Cuspidata latusculum cubantis.
Siqua laeserit, ah beatiorem
Non illam violis, rosis, ligustris
Dicam, at vepribus omnibus rubisque
Lappisque, et tribulis molestiorem!

DIVINO INFANTI ROSAM, ET LILIUM LABANUS OLITOR.

Jesu parvule, delicate Jesu,
Candidum hoc tibi lilium, hanc rosam dat
Dono purpuream libens volensque
Custos pauperis hortuli Labanus.
Hanc rosam oh quoties Rachel poposcit!
Pro qua vimineum mihi quasillum
Offerebat et ingerebat usque:
Sed frustra; illam etenim tibi spopondi:
Servavique tibi, venuste Jesu.
Nec non hoc sibi lilium poposcit
Sarae filiolus tenellus ille,
Subrufusque, comatulusque Jonas:
Pro quo, quam pedicis tenet revinctam,
Frigillam mihi semper ingerebat:
Sed frustra; illud enim tibi spopondi,
Servavique tibi, venuste Jesu.
Quare munus habeto quidquid hoc est:
Pro quo non ego grandinem precor te

Diram, non volucres meis repellas
Voraces viridariis, vagasque
Pictis floribus arceas capellas:
Hoc unum peto: sic meum cor aestu
Tui flagret amoris, ut rosa ista
Concepto igne videtur aestuare;
Atque ut candidulum hoc et integellum est
Lilium, mea puritas sit omne
Illibata per aevum, et integella.

AD ZEPHYROS UT DIVINO INFANTI SUCCURRANT.

Adeste huc Zephyri, et tepente flatu
Hoc antrum gelidum fovete, Jesus
Quo Puer teneros reclinat artus.
Quid statis? Boreae halitus nivalis
Heu mordet Pueri tenella membra!
Huc ergo, o Zephyri, ocius venite,
Atque illum cohibete permolestum,
Crudelem penetrabilem frementem
Flatum, quo Boreas tumultuosus
Hac illac gelidum hoc furit per antrum,
Neque hoc, o Zephyri, satis: videtis
Ut super paleas aculeatas
Infans ille latusculum tenellum
Inclinans queriturque et ingemiscit?
Ite ergo, o Zephyri, et tepente flatu
Telluris gelidae sinus fovete,
Et laxate geluque solvitote,
Ut submittere flosculos tenellos,
Et molles queat herbulas, venustis
Quales ver parit educatque in hortis.
Has ego manibus meis et illos
Decerpamque libens, libensque spargam,
Ubi hic lacteolos reclinat artus
Infans; et paleas eas cremabo
Rudes, horridulas, aculeatas,
Lappisque et tribulis molestiores,
Quae nunc cuspidibus suis tenellum
Hunc laedunt Puerum, fugantque ocellis
Fletu turgidulis levem soporem.

CAECI AD PUERUM JESUM OBSECRATIO.

Jesu parvule, delicate Jesu,
Cui quemquam ex pueris, fuere quotquot,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis,
Extitisse, vel esse, vel futurum
Quandocumque, negat parem aut secundum,
Quicumque os potuit tuum, tuosque
Illos flammeolos videre ocellos.
Hoc tantum mihi caecitas misello
Invidit boni, et illud os, et illos
Nequidquam cupio videre ocellos.
At non ex animo, venuste Jesu,
Illos spes cecidit mihi videndi.
Non bellum modo te, sed et potentem
Naturae Dominum, arbitrumque rerum
Omnes unanimi fatentur ore.
Caeco nunc igitur fave huic misello,
Qui tete rogat, obsecrat, lacessit,
Non jugem ut sibi copiam videndi
Vitae terminum ad usque largiaris;
Ast ut lumina tamdiu recludas
Quamdiu est satis, ut tuum os, tuosque
Illos flammeolos videre ocellos
Pauxillum queat, et (nisi arrogantem
Caeci tam miseri obsecrationem
Hanc putas nimis esse) suaviari.
Quod mihi si dederis, nihil morabor
Vitam ipsam, atque oculos libens, nec unquam
Posthac expliciturus obserabo.

AD SOMNUM UT PUERUM JESUM INSOMNEM SOPIAT.

Huc e Cimmerii specus latebris,
Noctis progenies tenebricosae,
Huc o blandule ades, tenelle Somne;
Atque hujus vigilantis os Puelli,
Et tenerrima cruscula, et lacertos,
Et, qui lacrimulis tument, ocellos
Circumsiste, superque funde succos,

Quos miscere manu soles sopora,
Ut sese placida levet quiete
Infans hic, soboles Patris tonantis,
Quem nuper genuit pudica Virgo,
Hem! quis crederet? algido sub antro
Sed jam Somnus adest: procul facessant
Hinc curaeque malae, horridaeque larvae
Eant, si libitum est, volentque circum
Regum tecta, domosque sumptuosas
Virum turrigeras colentium urbes:
Illic obstrepitent, citroque et ultro
Concursent simul, expleantque pravam
Perterrendi homines cupiditatem.
Isto nam quis eis locus sub antro
Exeso, scopuloso, inhospitoque?
Rerum ubi omnium inops Puellus iste
Brumae obnoxius, omnibusque ventis
Alget: nec pote bos tepente flatu,
Rigentesque fovere asellus artus.
Ohe! quid video? oscitatur, ohe!
Paullatimque oculos reclinat Infans.
Jam dormi, Puer o venuste, dormi.
Tuque, o blande sopor, tuos recessus
Cave ne repetas; sed heic per omnem
Noctem..... nec satis, heic ad usque tempus
Mane hoc cum Puero meridiei,
Donec sol medio calens in orbe
Nivemque et glaciem resolvat; atque hoc,
Quod nunc tam riget, intepescat antrum.
At nos interea silere oportet,
Ne, quae sopierat mea haec Puellum,
Cantio excitet ipsa dormientem.

S. ALOYSIUS JUBETUR A DIVINIS RERUS MENTEM AVERTERE.

Ne caelestis Amor tuas medullas
Paullatim peredat, juberis illum
A te arcere procul, tuamque ab omni
Mentem avertere cogitatione,
Quae, velut cineri abditos doloso,

Excitet veteres amoris ignes:
Nec tu, Loisides, negas tuorum
Parere imperio regentum, et illum,
Sit quamvis tibi carior medullis,
Illum a te procul amove amorem,
Ne totas peredat tibi medullas.
Quod si, ceu solet, in tuum redit cor,
Atque mollibus ardet in medullis,
Imperi memor, ah procul recede,
Recede hinc procul, inquis, aestuoso
Igne ne peredas mihi medullas.
Heu quam, Loisides, mihi tibique
Parum convenit! ah parum quid inquam?
Mihi convenit heu mihi tibique!
Nam cor cera velut tuum liquescit,
Uruntur, pereduntur et medullae,
Si quando tibi sanctus ille sese
Offert, atque animo recursat ardor:
Contra est pumice siccius mihi cor,
Nec flammis tenerescit admovendis,
Quamvis admoveas satis superque.
Quare si veteris tui clientis
Est qua cura tibi, velim, repellis
Quum tu, Loisides, tuum illum amorem,
Ne totas peredat tibi medullas,
Velim ad me veniat preceris illum,
Ut totas peredat mihi medullas.

AD LILIUM, UT CITO AD S. ALOYSII MANUS ORNANDAS FLORESCAT.

O veris decus, atque flosculorum,
Lilium o redolens, caput venustum
Ex humo, precor, effer: halitum jam
Nivalis Boreae fugavit aura
Favoni, nec hiems nivosa saevit
Amplius; caput eja tolle pulcrum.
Ne te laedat humus siticulosa,
Ego te manibus meis rigabo
Quum sol extulerit caput decorum,
Quum illud merserit aequoris sub undis.

Rubis te undique sepiam retortis,
Ne te dilaceret protervus hircus,
Ne vellat Boreae impetus furentis,
Ne solis rabidus calor perurat.
Surge, floscule, surge, quid moraris?
Tu quod virgineum refers decorem
Tu manus decorabis Aloysi,
Qui semper Veneris Cupidinisque
Fugit blanditias periculosas,
Qui mortem potius subisset ultro,
Quam resolvere jura castitatis,
Quam notis macnlare vel pusillis
Purius nive corculum pudicum.
Surge, floscule, surge, ne moreris.

CORYODON ADLESCENS ET THYRSIS PUER AD ARAM S. ALOYSII.

Cor. Thyrsi parvule, pervenuste Thyrsi,
Quid heic tu gregibus procul relictis
Moliris? sibi quid volunt ligustra
Quid rosae sibi, quid sibi canistra,
Herbis quae teneris olentibusque
Ornas, omnigeno replesque flore?
Th. Ohe, mi Corydon, an unus inter
Nos tu vel peregrinus es vel hospes?
Unum te latet hunc diem patrono
Nostro Loisidi esse dedicatum?
Has ego violas, rosas, ligustra,
Ejus quod lacrimas, pudorem, amores,
Sese queis adeo Deo probavit,
Ostendunt, nitidis in his canistris
Illi offerre paro, meumque totum
Cor cum floribus his, et his canistris.
Quid struam modo prorsus ipse nosti.
Quid ergo, o Corydon, quid heic moraris
Ultra? Loisiden et ipse forsan
Mecum visere comprecarierque
Exoptas? tibi sit bene ac beate.
Ergo hinc Loisiden simul petamus,

Cor. Hem, Thyrsi, hem! tenerum quidem patronum
Vellem Loisiden, bonum, fidelem
Tecum visere comprecarierque:
Sed mihi nihil offeram quod illi
Est; non sunt violae aut rosae aut ligustra,
Nil, praeter scelerum et piaculorum
Vim, quae me lacrimis madere cogit,
Nec sit solitas preces ad aram
Illam effundere sacram, ubi quiescunt
Illius cineres beati, et omnis
Ejus quo properat manus clientum.
Th. Tanto ergo magis hanc petamus aram:
Res enim tibi plurimae atque magnae
Sunt, quas Loisidi offeras patrono.
Sunt tibi lacrimae, quibus madescis,
Ergo Loisidi offer has patrono;
Nam quavis prece, floribus, canistris
Huic solent lacrimae esse cariores.

JOANNIS CHOSTAE.

HONESTE VIVENDUM.

Est vita ludi pompa scenici brevis:
Partes agendae singulis; spectat Deus,
Notatque justus singulorum industriam
Probrum daturus, vel perenne praemium.
Ergo agite vestras quisque partes, ut genus
Decet supernis inserendum coetibus.
Imago mundi praeterit, Caelum manet.

DEUS AETERNUS.

Aeternitatis quis queat tuae, Deus,
Sinum volucris ingenî pennâ ingredi,
Ubi ante mundi saecla, naturae intimo
Pendentis a se, nilque egentis numine
In te receptus ipse fons stabas tui,
Expersque origo originis? Tu circuli-
Es vera forma, quae reducto lineae
Circum rotundo margine exortum sui,
Finemque nescit. In futuri possides,
Actique lapsûs temporis, totas simul
Mente usque praepotente complexus vices;
Et semper idem, semper es praesens tibi,
Rebusque, et anni non movebuntur tui.
Humana cuncta desinent: tellus gravi

Solvetur igne devorata, et aetheris
Lucentis alta colliquescent sidera
Ruente çoelo, nec sui vestigium
Relinquet orbis: disperibunt omnia.
At unus ipse nil tuorum senties
Tangi bonorum, quae tenebas primitus,
Tenesque semper, et tenebis, dum tua
Virtus vigebit: et vigebis tu Deus.

D. ANTONIUS IN URBE PATAVINA VIGINTI DUOS LATRONES CONCIONE HABITA AD POENITENTIAM REDIGIT.

Audistis, socii, novum repente
Coelo missum hominem? Tonat per urbem
Nunc ille Euganeam, bonasque gentes,
Sacra territat allocutione.
O viles animae, leves ineptae,
Quas vanus timor, occupat futuri,
Et vindex scelerum quatit potestas!
Quanta perpetui foret cachinni
Nobis copia; si subiret ardor
Ire, et auribus illa bella dicta
Nostris ebibere! O faceta scena!
O ludi species beatioris!
Haec latro sociis. Eamus eja,
Eamus simul, inquit unus, et nos
Illum visere. Vestis ergo formam
Foedam sanguine, et hispidum capillum
Mutant, et Pataví viâ latenter
Diversi variâ volant ad urbem.
Adsunt vespere, posterâque luce
Immixti populo sedent et ipsi
Risores. Aperit Dei minister
Ollis crimina magna, ceu fuissent

Ipsi cognita : sontibus paratas
Pingit horribili colore poenas,
Et fassis reserat simul benigni,
Ad quem confugiant, sinum parentis.
Metu Numinis, atque amore passim
Gemunt, illacrymant, dolet scelesti
Poscentes veniam, novamque mentem.
Jam finis venit allocutionis,
Et vastum undique jam caterva campum
Linquit in teneros soluta fletûs.
At sacri ocius ad pedes ministri
Submissis genibus cadunt latrones
Madentes lacrymis sinûs, et ora,
Et vitae genus, et nefanda facta
Pandunt solliciti, viaeque causam
Et motus animi usquequaque victi
Coelesti eloquio. Pius dolentes
Praeco Numinis excipit, fovetque
Et firmat monitis, et inquinatos
Agni justifici eluit cruore,
O virtus supero calens ab igne,
Virtus omnigenis tremenda monstris,
Et praesens validâ potenter omnes
Errorum tenebras fugare luce,
Et pulsis animos beare morbis!

DOCTRINA D. ANTONII PER OBEDIENTIAM PATEFACTA.

Splendet ille, splendet, atrâ qui latebat obsitus
Nube, sol. Jam vestit auro Livii forum novo,
Et stupentes luce visûs recreat setemplici.
O beate sol, et isto sole nostro pulcrior,
Inclyte Antoni, supernae qui jubar scientiae
Intimo frustra repostum continebas in sinu.

Nunc tuo tandem verendo nunc renides ordini,
Jussus ignotam tot annos expedire lampada.
Lampas ardet, vibrat ignes, ima cordium subit,
Lustrat, accenditque mentes, et calore vivido
Germina excludit, cietque floridum passim genus,
Et cupita pompa tenis poma coelo porrigit,
Victa sacris advenarum turba fervet ignibus:
Victus Ordo sentit Astrum: Praeses haeret, ac stupet;
Quippe Numen tale sidus e latêbris extulit,
Ut diu sepulta abiret in triumphum gloria.
Alme sol, lustrabis urbes, suscitabis undique
Coelitum flammas, et avis luce sternes Italis,
Gallicisque monstra in oris. Quale sed nostrae dabis
Munus urbi, grande munus, cum perenni te Deus
Hanc super fixum jubebit fulgurare lumine?

HENDECASYLLABORUM
JAMBORUM
ET
ANACREONTICORUM.
LIBER II.

JOANNIS CHOSTAE.

AD POESIM SACRAM.

Veni quae rigui sedes
Jordanis prope flumina,
Hebreosque regis choros,
O divina Poesi:
  Veni gloria Caelitum,
Summi nuntia Numinis,
Recti mater, et optima
Puri mater Amoris:
  Veni dulcia tinnulâ
Voce carmina concinens,
Queis olim Salomo suae
Mulsit pectora sponsae;
  Seu mavis teneros modos;
Quas David cecinit pater,
Cum sacram pede fervido
Exultaret ad Arcam;
  Seu questûs miserabiles;
Et Vatis lacrymas tui
Lugentis Babiloniae
Duro in margine ripae.
  Nam, seu flebile tristibus
Deducas numeris melos,
Seu mille aurea misceas
Laeto gaudia cantu,
  Vino vox tua dulcior:
Melle dulcior, et favo
Nostris insonat auribus,
Influitque medullis,
  Aut ros ceu vitreus solet

Puro lapsus ab aethere,
Aut imber, placidis novas
Guttis qui rigat herbas.
  Auditis ? venit en venit;
Late tympana concrepant,
Et percussa sonant prope
Molli nablia plectro.
  Picti protinus undique
Olli assurgite, flosculi,
Et motis pariter comis
Arridete canenti.
  Lymphis dulce strepentibus
Blandi accurite rivuli;
Vos vernis, Zephyri leves,
Flate leniter auris,
  Dum nostrum bona in hortulum
Infert purpureum pedem,
Et cuncta exhilarans novo
Circum lumine vestit.

MARCI ANTONII FLAMINII.

DEPRECATIO MATUTINA.

Jam noctis umbras lucifer
Almae diei nuncius
Terra poloque dimovet
Simulque nos cubilibus
Monet relictis pectore
Preces ab imo fundere
Ad templa summa coelitum.
Oremus ergo supplices
Fontem perennem luminum,
Ut sicut omnes aëris
Illustrat horas, vivido
Sic nostra corda repleat
Fulgore sancti Spiritus,
Qui nos per haec contagia
Puros ab omni crimine
Traducat ad coelestium
Sedes beatas, illius
Nutu gerantur omnia,
Cibumque sive sumimus
Seu quid negocii foris
Tractamus, aut domi, intima
Seu mente quid revoluïmus,
Id omne semper gloriam
Spectet beati numinis.
Rector supreme coelitum
Quae mente tota poscimus,
Haec omnibus concedito,
Qui corde puro te colunt
Et unicum Natum tuum,
Cum sempiterno Spiritu.

DEPRECATIO MERIDIANA.

Jam sol citato sidere
Suprema coeli culmina
Percurrit, alma fervidis
Tellus calescit ignibus,
At tu beato lumine
Accende corda frigida
Pater benigne, et omnibus
Tantos piorum sensibus
Ignes amoris excita,
Ut quicquid orbis continet
Prae te sit illis sordidum,
Nec ulla vis hunc fervidum,
Amoris aestum temperet,
Sed usque crescens omnia
Conuexa coeli transvolet,
Summoque Patri vinculo
Nos jungat insolubili.
Has nos ab imo pectore
Precationes mittimus
Tuas ad aures maxime
Terrae polique Conditor
Tu vota nostra numine
Dextro secunda idque ad tuam
Concede nobis gloriam.

DEPRECATIO VESPERTINA.

Jam vesper ortus incipit
Diem tenebris condere,
At nos Parentem luminis
Sancti precemur, ne sinat
Noctem suorum mentibus
Caliginosam irrepere:
Seu dulcis alma recreat
Sopor quiete languida
Seu linquit ille lumina
Nunquam recedat à piis
Lux sempiterna cordibus,

Ut semper in dies magis
Magisque detur maximi
Benignitatem numinis
Videre mente lucida,
Et hinc amoris optimi
Ardere semper ignibus,
Supreme coelitum Pater.
Votis tuorum supplicum
Aures benignas admove,
Ut sensa cordis omnia,
Et dicta, factaque ad tuam
Sic dirigamus gloriam.

OPEM CHRISTI IN MAGNA ANIMI AEGRITUDINE CONSTITUTUS IMPLORAT.

Iesu benigne fervidas
Precationes, et mea
Ne quaeso vota despice,
Ut terra solis ignibus
Hiulca, sic animus meus
Afflictus, aeger, aridus
Dulcissimum rorem tuum
Expectat, o salus mea.
Refrigera mentem meam.
Metus, dolores, lacrimas,
Muta perenni gaudio,
Ut hae querelae flebiles
Mutentur in laudes tuas,
Et vox agendis gratiis
Noctes diesque personet,
Ne quaeso more judicis
Quid egerim, quid dixerim,
Quid cogitarim pondera,
Peccata sed mea omnia
Tuo cruore deleas,
Me vulnerum sanet dolor
Tuorum, amara mors tua
Cordi meo dulcedinem
Instillet, ut mea crucem
Et fortis et libens feram
Quam sint beati qui sumpta sua

Cruce Christum sequuntur
Beatus ille, qui suam
Tollit crucem quotidie
Magnisque Jesum passibus
Sectatur: illum maximus
Coelestium Pater sibi
Adoptat ultro filium,
Eique donat spiritum
Peccata delentem omnia,
Hereditatis inclytae
Pignus beatum, is intimo
In corde miros excitat
Patris amores optimi,
Hinc ille temnens omnia,
Quaecunque tellus, et maris
Arena dives continet,
Laetatur unico Deo.
Hunc spem, salutem, gloriam
Suam, suumque gaudium,
Patrem, magistrum nominat,
Latusque semper dexterum
Sibi tegentem conspicit
Per hujus ut vitae vias
Formidulosas ambulet,
Securus et chari patris
Benignitatem sentiat.
Ergo nec illum territat
Humana vis, nec inferum
Furor tremendus maximus
Periculorum casibus,
Ut dura rupes turgidi
Tunsa procellis Adriae
Immobilis semper manet,
Nec cessat ullo tempore
Hostes, amicos, patriam
Juvare negligens sui,
Sic ille vitam coelitum
Colens perenni gaudio
Triumphat impius, licet
Terrae marisque sit potens,
Pulchrumque nomen occupet
Felicis, est semper miser.

COMPARAT ANIMUM SUUM FLORI.

Ut flos tenellus in sinu
Telluris almae lucidam
Fromosus explicat comam
Si ros et imber educat
Illum, tenella mens mea
Sic floret almi spiritus
Dum rore dulci pascitur,
Hoc illa si caret statim
Languescit, ut flos arida
Tellure natus, eum nisi
Et ros et imber educat.

EOS TANTUM BEATOS ESSE AFFIRMAT, QUI CÆTERIS OMNIBUS RELICTIS CHRISTO ADHÆRENT.

Quousque vana omnia
Falsasque rerum imagines
O caeci amare pergitis?
Non forma vincens Nirea,
Non dives usus purpurae,
Non mens peragrans sidera,
Camposque latos aëris,
Marisque, terrasque infimas
Reddunt beatos: unica
Felicitatis est vita
Jesus benignus omnium
Dator bonorum: currite
Omnes ad illum, currite
Fidenter ille deserens
Amore nostri coelitum
Sedes beatas, pertulit
Famem, sitimque, et vulnera,
Mortemque diram, neminem
Fastidit ille, perditos
Aegros malorum pondere
Pressos juvare diligit,
Non sic et optimum et unicum

Amant parentes filium,
Ut ille nos. O centies
Beatus ille maxime
Jesu relictis omnibus
Qui mente tota se tibi
In servitutem dedicat.

PRÆDICAT BENEFICIA A CHRISTO IN SE ET CÆTEROS MORTALES COLLATA.

Jesu beate Numinis
Aeterna proles maximi
Quibus tuam clementiam
Efferre possim laudibus;
Tu pulchra linquens sidera
Formata dextera tua,
Mortale corpus induis,
Ut ipse terram deserens
Suprema coeli culmina
Conscendam: acerba vulnera,
Crucisque dira sustines
Tormenta, ut ipse callidi
Serpentis ore saucius,
Mortisque certus gaudeam.
Vita potitus coelitum,
Tuoque factus munere
Tuus cohaeres, fac precor
Jesu benigne cogitem
Haec semper, ut semper tibi
Summoque Patri gratias
Agam, pieque vos colam,
Totaque mente diligam.

QUID SERVANDUM SIT AMATORIBUS CHRISTI.

Quicunque Jesum diligit,
Humana discat omnia
Nil aestimàre, diligens
Opes, honores, gloriam,
Amare Jesum puriter
Nequit, relinque caetera,

Unumque Jesum posside.
Nam quicquid est usque boni
Sic possidebis, lacrimas,
Metus, dolores pectore
Tuo fugabit, dulcia
Semper morantur gaudia,
Ubi moratur candidus
Jesus, voluptas unica
Est ille amantium sui.
Quin mater et pater tuus
Te derelinquent, optimus
A dextera nunquam tua
Jesus recedet omnium
Fidus comes discriminum.
Et cum suprema venerit
Tibi dies te transferet
In sancta regna coelitum,
Fruaris ut vita simul
Et sempiterno gaudio.

EXPRIMIT ARDOREM AMORIS SUI ERGA CHRISTUM.

Te sancte Jesu meus mea
Amoris ista vulnere
Suspirat; o salus mea
Me solus tandem vinculis
Istis, ut evolem tuam
Beatus ad praesentiam,
Fac interim magis magis
Amore totus ardeam.
Ut pura mens a corporis
Contagione amplexibus
Evadat aptior tuis.
Tu spes, voluptas, unicum
Cordis mei sis gaudium,
Benigne Jesu da precor
Humana cuncta spernere
Te propter, omnia fac mihi
Te praeter unum sordeant,
Seu pulcher oras aetheris
Sol lustrat almo lumine,

Seu nox benigno languida
Rigat sopore corpora,
Domi forisque mens mea
Te quaerat, invocet, canat;
Solumque felix in tuo
Dulci acquiescat nomine.

HYMNUS IN CHRISTUM.

Jesum pudicae virgines,
Jesum juventus integra,
Jesum viri, senes, anus
Cantemus, in cujus fide
Laetamur esse, patrio
Qui nos amore diligit
Fovetque, summi Numinis
Aeterne fili syderum,
Terrae, marisque conditor,
Nil vasta coeli immensitas,
Nil magnus orbis continet,
Non dextera factum tua,
Tu Patris in sinu sedens
Alis, gubernas omnia;
Tu charitate maxima
Nostrae misertus miseriae
Mortale corpus induis,
Diraeque affixus cruci
Nos morte vindicas tua
A sempiternis ignibus.
Tu morte victa regiam
Reversus ad tuam, simul
Tui colentes aurea
In parte coeli collocas.
Te coetus omnis coelitum
Noctes diesque concinit;
Te sempiternus Spiritus
Salutis auctorem unicum
Testatur esse; tu quies
Lumen, voluptas mentium
Tu pastor, agnus omnia
Peccata tollens, Pontifex

Aeternus iram maximi
Sedare presens numinis,
Clemens, suavis, optime
Iesu tuorum prospera
Cursum benignus, ut solet,
Piasque laudes suscipe,
Quas ore puro fundimus.

CHRISTUM INVOCAT MAGNITUDINE MORBI SE JAM OPPRIMI SENTIENS.

Jam quinta lunae cornua
Se luce complent, horrida
Cum febre membra tabida
Depascor, ossa frigore
Tremor furente concutit,
Dein aestus acer intimas
Urit medullas, ut faces
Absumit ignis aridas,
Jam corpus amisi; mei
Vix umbra jam superat, lenis
Ut flos gravatus imbribus
Caput tenellum dejicit,
Sic mens misella perdita
Cedit malorum ponderi.
Jesu benigne respice
Meos labores, dextera
Tua cadentem subleva,
Non illud ipse tam precor
Meo recedat oorpore
Haec pestis, unum id omnibus
Votis requiro, et obsecro,
Ut robur, et constantiam
Mihi ministres, languidos
Artus, medullas, omnia
Hic ignis ossa devoret,
Dum mens refecta vivida,
Tuoque fortis spiritu
Resistat, et semper tibi
Jocunda laudes concinat.
Jesus benignus, optimus,

Horrenda passus vulnera
Dolentibus succurrere
Est promptus; aegrimoniam,
Metus, querelas abjice
Fidenter, o anima mea
Quiesce, nomen invoca
Dulcissimum regis tui,
Est ille munitissima
Arx invocantibus eum.

DOLET SE JAM SENEM FIERI, NEQUE TAMEN ADHUC COEPISSE DEO EX ANIMO SERVIRE.

Eheu senecta crinibus
Jam sparsa canet, labitur
Aetas, ut unda fluminis,
Auremque vellens pallida
Mors admonet, miser, ah miser,
Quousque pergis somnia,
Umbrasque vanas persequi?
Jam jam supremi iudicis
Tribunal ad justissimum
Sistere cordis intima
Qui sensa qui dicta omnium,
Qui facta novit omnia;
Haec vera certa judicat
Mens, et relictis omnibus
Summo beato Numini
Servire totis viribus
Exoptat, ardet, nititur,
Sed heu misella sordidae
Affixa terrae, inaniter
Laborat: eia age subveni,
Jesu benigne subveni
Tuamque dextram porrige,
Tu morte mortuum tua
Olim evocasti et inferis,
Nunc vita me vivum tua
Perire ne rursum sinat:
Humana fac spernam omnia,
Nudumque te nudus sequar,

Et ponderosi corporis
Me solve tandem nexibus,
Ut pura mens et integra
Aevo potita coelitum
Te sancte et optimum Patrem,
Et sempiternum Spiritum
Laudare nunquam desinat.
Jesus suorum supplicum
Tutela, portus, gaudium,
Quae mente tota deprecor
Concedet, ipse gratias
Agam benigno numini,
Ejusque laudes pectore
Laetante semper concinam,

QUAM SIT DULCIS ET SALUTARIS VULNERUM ET TORMENTORUM CHRISTI ASSIDUA MEDITATIO.

Jesu tuorum vulnerum
Cruore sancto pascere
Me quaeso nunquam desinas,
Me sanguis iste roborat,
Dulcique replet gaudio,
Hoc est amoris poculum
Coelestis, omnes sordidos
Pellens amores, ebria
Hac potione mens sui
Et omnium sit immemor.
Quaecumque mundus continet.
Deumque solum cogitat
Tuumque amorem fervide
Immense, nulli effabilis
Amor beatis sedibus
Tu maximi Natum Dei
Deducis, ipsique induis
Mortale corpus, asperam
Dein tollis illud in crucem,
Amabilis dulcissime
Amor meis in sensibus
Tantas amoris excita
Flammas, ut ustis nexibus

His ponderosi corporis
Alis tuis ad optimum
Jesum beatus advolem.

ORAT UT CHRISTI BENIGNITATE SIBI LICEAT PIE SANCTEQUE VITAM AGERE.

Tutela praesens omnium
Qui mente pura te colunt,
Da quaeso nil ut cogitem,
Agam, loquar quod Numini
Tuo placere non queat;
Comis benignus in bonos
Malosque sim, ne degener
Sim natus optimi patris,
Qui solis almo lumine
Illustrat omnes, omnibus
Potum cibumque sufficit
Legum tuarum per vias
Me continenter dirige,
Bonique quicquid egero
Id esse totum muneris
Tui sciamque et, praedicem.
Seu febris artus pascitur,
Seu miles urit impius
Domum paternam dicere
Laudes tibi ne desinam,
Sed cuncta numinis tui
Nutu regi nil ambigens,
Vivam quietus, filios
Dei secunda et aspera
Juvent oportet, gloriam
Tuam Patrisque maximi
Meae saluti praeferam,
Nec ulla res optatior
Queat mihi contingere,
Quam contumelias pati
Te propter, ipsa carior
Sit luce mors, ut corpore
Exutus ad tui volem
Regni beata gaudia.

GRATIAS AGIT CHRISTO CUJUS BENEFICIO E MAXIMIS PERICULIS SIT EREPTUS, ET AD VIAM SALUTIS REVOCATUS.

O lux beata coelitnm
Mortalium fidissima
Tutela, quas agam tibi
Jesu benigne gratias?
Ut olim aberrans aggere
Ovis misella saltibus
Formidolosis delitet
Voranda mox rapacibus
Feris; miserrimus omnium
Sic ipse per mala omnia
Caecus ruebam, candida
Cum lux beati spiritus
Tui refulsit, et viam
Quae ducit ad felicium
Aeterna regna coelitum
Monstravit ista lux meae
Mentis tenebras dispulit,
Cordi meo dulcissimi
Faces amoris ista lux
Infixit, illo ex tempore
Te sancte totus ardeo,
Te quaero amore saucius
Videre vultum candidum.
Tui frui complexibus
Mens ardet, ipsa jam nihil
Te praeter unum cogitat
Non sic decentem virginem
Furens amator deperit,
Non sic tenellum filium
Parens uterque diligit,
Amoris aestu liquitur
Cor molle, ut olim fervidis,
Percussa cera solibus,
O flamma mentem frigerans
Omnesque labes excoquens
Me semper in dies magis
Incende, perge adurere
Consume, totum verteris
Me donec in faces tuas.

QUERITUR MAGNAM HOMINUM PARTEM RELICTO CHRISTO REBUS INANIBUS STUDERE.

Jesu beate si tuo
Amore sancto perfrui
Quam dulce sit cognoscerent,
Qui res inanes diligunt,
O quam suae dementiae
Tederet ipsos, vulnera
Acerba corporis tui
Tanta fluunt dulcedine,
Ut quisquis illa suxerit,
Opes, honores, omnia
Amata jam fastidiat,
Deique sola gloria
Laetetur oblitus sui,
Sed caeca gens his fontibus
Praefert lacunas putidas
Et pestilentes gratia
Magna tibi Iesu maxime
Qui me tuo purissimo
Lavas, alisque sanguine.

PRÆDICAT SE SINE TUTELA CHRISTI IN MALA OMNIA PRAECIPITEM RUERE.

Te sante Jesu supplici
Adoro corde, cor tibi
Meamque mentem dedico,
Ut bimulus puer sua
Custode si caret, sibi
Magna creat pericula:
Sic spes si desit tui
Tutela praesens spiritus
In cuncta praecipitem mala.
Dulcis benigne spiritus
Me quaeso totum posside,
Tuaque flamma incendito
Amore cor illumina
Mentis tenebras excoque
Quodcunque inhaeret noxii

Fac semper in te gaudeam.
Opes, honores, sordeant,
Summique patris gloria
Sit luce carior mihi,
Seu pascit hortus lumina
Florum colore gemmeo,
Seu fons susurrans vitreis
Delectat undis, illico
Vox surgat in laudes Dei
Sol, luna, fulgor, siderum,
Lapsus perennes amnium,
Formosa silva, frugibus
Ager redundans, omnia
Quaecumque cerno maximam
Santi beati Numinis
Benignitatem cernere
Manuque tractare faciant,
Hinc ipse discam comiter
Omnes iuvare, nemini
Nocere, purus, integer
Deoque charus exigam
Quod restat aevi transvolans,
Dein summa coeli sidera
Fruar perenni gaudio.

DE ARDENTI AMORE SUO ERGA CHRISTUM.

Amore totus langueo
Nec ulla jam datur quies,
Jesu benigne jam meam
Solare mentem, candidos
Ostende vultus, lumine
Tuo beata lumina
Fac mea, nec osculum precor
Amans amanti denega.
Tu sponsus es animae meae,
Te querit illa lacrimis,
Te continenter invocat;
Tu sancte mortis e manu
Tuo redemptam sanguine
Tuique amore sauciam

Odisse certe non potes,
Ergo misella cur tuae
Dulcedinem presentiae
Non sentit? ah cur supplices
Venti querelas dissipant,
Sed tu licebit anxio
Amantem amore torqueas.
Non illa amare desinit,
Jesu tui tabescere
Amore res dulcissima est.

COMMENDAT ANIMUM SUUM DEO MAGNITUDINE MORBI IN EXTREMUM VITAE PERICULUM ADDUCTUS.

Rector beate coelitum,
Qui sic amas mortalium
Salutem, ut almi Filii
Cruore sancto laveris
Peccata eorum; suscipe
Servi peccantis spiritum,
Qui fretus unica tua
Benignitate languidos
Artus libenter deserit,
Ut alta coeli sidera
Petens fruatur optime
Pater tua praesentia,
Et sempiterno gaudio.

STANISLAI CHICCOLII.

CUM MARIA INVENISSET JESUM QUEM AMISERAT, SIC PUERUM ALLOQUITUR.

Te dilecte Puer
Te tandem unus amor Patris
Et nostri decus, ultimae et
Vitae praesidium meae,
Te cerno, loquorque.
Cantu dicite virgines
Et puelli io dicite,
Vosque culmina montium
Plaudite, aequorisque io
Pisces reddite ab antris.
Heu nomen quoties tuum
Audivere poli et procul.
Noctis sydera candidae,
Echo eheu quoties mihi
Est responsa querenti.
Hos ego fluvios et haec
Contestor nemora antraque
Sylvarum horrida tigribus
Et natantia per mare
Magno corpore cete.
Hic ubi exoriens aquis
Fons vagum rigat hortulum
Me per multa silentia
Clamantem tulit et meis
Crevit fletibus unda.
Nam seu lumina lucifer
Noctis seu tenebras ferat
Surgens vesper ab aequore

Mihi nulla quies erat.
Te te Nate vocabam
Donec fessa sopor mea
Parum membra rigaret, at
Huc, illuc subito nigro
Errabant pede tristia
Circum somnia mentem.
Ast nunc te Puer, o Puer
Te tandem unus amor Patris
Et nostri decus, ultimae et
Vitae praesidium meae
Te nunc cerno loquorque.

ADDITAMENTUM

ELEGIACORUM.

BASILII ZANCHI.

AD CHRISTUM.

Tange, precor, mihi care pater praecordia Jesu,
Corque meum sacris affice vulneribus.
Ipsa meas feriant contorta sonoribus aures
Verbera, et immiti tristia flagra manu.
Occurrat, quocumque ferar: tua dulcis imago,
Molliaque impressis tempora secta rubis.
Non unquam fellisque liquor, clavique trabales,
Lanceaque immemori defluat ex animo.
Te semper roseo conspersum sanguine cernam,
Inque meis semper vulnera sint oculis:
Vulnera, queis mortemque necas, et lumina vitae
Reddis, et est homini vera recepta salus.
Te videam sancto lustrantem cuncta cruore,
Qua caelum, ac terrae, qua maria alta patent:
Tendentemque manus, et ad oscula cara vocantem,
Pandentemque imi pectoris hospitia.
Hoc mihi dulce decus, sint haec nova gaudia menti:
Has mihi divitias, haec mihi regna peto.

AD CHRISTUM.

O mundi venerande Sator, mens alta Parentis,
O decus, o nostrae Christe salutis iter:
Te liquidi spatia ampla poli, te maxima tellus
Tollat, et immensis finibus oceanus:

Te recinat quodcunque tuo de munere vivit,
  Quidquid et in toto providus orbe creas.
Tu puram in tenebris lucem: et caligine caeca
  Fundis, et aetheria lumina clara face.
Tu miseros, tu morte tua formidine mortis
  Solvis, et a lethi lumine restituis.
Mortalesque artus terrae, moribundaque membra
  Cordis, et in mutos dissoluis cineres:
Et longo Sator ipse jubes post tempore rursus
  Surgere, non ulla dissoluenda die.
Atque immortali mortalia corpora vita
  Officis aeternis inclyta muneribus:
Occlusas penetrare fores, sine pondere ferri
  Das Pater: et ventos preteriisse fuga,
Et Phoebum radiis, Phoeben candore nivali
  Vincere, dum plena cornua fronte gerit.
Tu Stygii fera terga domas, et colla Draconis,
  Frangis et invicta claustra tremenda manu.
Et felix spolia ampla refers super aethera victor,
  Et nitet exuviis regia celsa novis.
CHRISTE parens, tu templa tibi, tu pectora nostra
  Effice, et ipse tuo numine corda reple.
Da mentem mactare piam, da mente litare:
  Evincant nostrae thurea dona preces.
Proque focis cantata tibi nova carmina fument,
  Stillet et e nostris myrrhea gutta genis.
Annue, Magne, precor, tua per caelestia dona
  Perque tuam matrem, caelicolasque choros.

IN ASCENSIONEM CHRISTI.

Sume lyram, dic Musa novum, dic candida carmen,
  Et juvet humano linquere trita pede:
Scandentem super astra volens hominemque, Deumque
  I; sequere aetherios pone secuta choros.
Jamque quaterdenos Titan vagus hauserat orbes,
  Clarior et toto fulserat orbe dies,
Postquam jussa libens summi veneranda Parentis
  Fixus in indigna fecerat ante cruce:

Postquam homini pacem aeternam, nova lumina vitae,
Et dederat plena dona beata manu:
Postquam Erebi vastator ovans, victorque sepulcri
Extulerat valida parta trophaea manu:
Christus oliferi quum sacro in vertice montis
Astitit, et circum plurima turba virum,
Quos testes legit ipse sibi, totumque per orbem,
Et nova jam terris, et dare jura mari,
Et trahere humanos divina in retia pisces,
Et Cereris flavas caedere falce comas:
Inde levis circum nebula velatus amictu
Se rapit, et sensim sidera ad alta levat:
Ut clausi tandem ipse fores recludat olympi,
Atque hominem insolita tollat ad astra via.
At laeti tristesque oculis comitantur euntem,
Et longum obtutu lumina fixa tenent,
Dum licet, aetherias donec dilapsus in auras
Evolat et ventis ocyor, et radiis.
Hunc animae circum, immitis spolia-ampla tyranni,
Dulcia victrici carmina voce sonant:
Pennipedesque chori, caelique exercitus ingens
Praecedunt, palmae tempora vincta tegunt.
Instrumenta gerunt nostrae veneranda salutis,
Et ferunt laeta signa superba manu.
Victrices dant signa tubae, lituique sonantes,
Et resonant cantu dulcis uterque polus.
Occurrit cantu vario gens excita caeli,
Versicolore sacrum sidere cinta caput.
Et procul, o quis nam iste, hominis sub imagine caelum
Scandere, et ignotas ausus inire vias?
Quis novus o Rex iste, Deum stipante caterva,
Regali flavas presssus honore comas?
Quis novus hic, cui luna nitens, cui gloria caeli
Cesserit, ardenti dum coquit arva face?
Unde ille signata nitet non una cicatrix?
Unde illi rubro sanguine tincta toga?

Hic Patris aeterni Sophia, hic certissima Proles
Hic caelum ac terras et maria alta tenet;
Per quem firma manet spatiosi machina mundi,
Qui liquidum vario sidere pinxit opus.
Per quem purpurei cadens nitet orbita solis,
Pulchraque fraterno lumine luna micat.
Per quem perpetuus genitalia semina rerum
Miscet et aeterno foedere jungit amor.
Et circum spatia ampla tenent diffusilis aer,
Et gelido sitiens rore madescit humus:
Et maris oceani refluentibus humida lymphis,
Firmaque librato pondere terra jacet:
Daedalaque in certum cunctis animantibus usum
Sufficit immenso larga alimenta sinu.
Insignemque hominem radiantis imagine Patris
Condidit, et certa tempora lege dedit:
Queis Patrem in terris coleret, venerandaque jura,
Et regeret certis subdita temporibus:
Ut tandem patrio laetum transferret Olympo,
Cerneret et nullis finibus ora Dei.
Damnatum tamen (heu) mortale genus, penisque gravatum,
Dejectumque alti sedibus imperii,
Ut tandem in patrium clemens revocaret Olympum,
Cerneret et nullis finibus ora Dei,
Ipse hominem, sator ipse hominum, moribundaque membra
Induit, et sanctis legibus obsequitur.
Eumque hominum dulcem vitae praeponit amorem,
Sponte sua in ligno dulce pependit onus:
Insontemque animam per dulcia vulnera fudit,
Protinus et caeli libera facta via est.
Concretamque animis labem, commissaque largus
Non semel effuso sanguine nostra luit,
Hinc illi signata nitet non ulla cicatrix,
Hinc illi rubro sanguine tincta toga.
His dictis, sonuere novo cava cymbala cantu,
Et citharae, et dulci naulia pulsa manu.

Occurrunt caeli proceres, volucrisque juventus
Excipit, et plausu regia tecta sonant:
Exceptasque iterant laudes, et carmina Divum,
Carmina mortali non ferenda sono.
Caelicolae inter se caris complexibus haerent,
Et gaudent mistis se sociasse choris.
Intrantem Dominum agnoscit rutilantis Olympi
Regia, et insueto lumine templa micant.
Ut primum caeli medio in regione beata
Constitit, et Patris procidit ante pedes:
Ipse Pater solio Unigenam complexus ab alto
Accipit, et blando detinet usque sinu:
Mox caeli tractus supra, supra agmina Divum
Evehit, et dextro collocat in solio.
Caelicolae assurgunt omnes, gratantur ovanti,
Grataque adoratis oscula dant pedibus.
Christe Deus, bone Rex, victa qui morte triumphas,
Quique tuos reges efficis, atque deos:
Quique pias laetis animas sine fine reponis
Sedibus, et vitae fonte perennis alis:
Per quem quisque brevis post dura incomoda vitae
Accipit emeritae praemia militiae:
Promissamque Auram, atque Aurae omnipotentis amorem,
Teque libens nostris insere pectoribus:
Da curas calcare humiles, da linquere terras,
Et tecum aetheria jam regione frui.

IN IMAGINEM DIVI JOANNIS CHRYSOSTOMI.

O nimium veneranda mihi, mihi dulcis imago,
Quam bene divini signa decoris habes!
Qui radii, quaeve ora micat, quae sidera fronti!
Quos ignes, vel quas fundis ab ore faces!
Salve, magne Parens, caeli decus, aurea fandi
Copia cui meritum nomen, et ora dedit.
Nil mortale sonas, summi seu scripta Parentis
Excutis immensis finibus ingenii;

Sive rudes formare velis melioribus orsis,
    Anxia seu tristi corda dolore levas;
Seu dictis mulcere feros, seu flectere sensus;
    Gratia divino semper in ore sedet.
Antiochi te, magne, solum, te Thracia longe
    Litora, et Euxini marmoris ora sonat;
Armeniusque canit culto beneolentis amomi,
    Quique Cilix rubri demetit arva croci.
Te totus terrarum orbis, te curia caeli
    Suscipit, et caelo tot benefacta beant.
Per te, sancte Pater, tua nos exempla secutos,
    Ipse Pater caelo transferat omnipotens.

STEPHANI ANTONII MORCELLI.

DE MARIAE V. IN FILII MORTE ACERBISSIMO ANIMI SENSU ET DOLORE.

Non cantus aegri concedat cordis amaror,
Num lene arguti carminis eloquium?
Tempore quo moestum procul hinc tristissima matrum
Virgo jubet fletus fundere largifluos;
Et mihi non cantus, non vox, at pectore ab imo
Par foret ut soli suppeterent gemitus;
Divini ut flerem letum crudele Parentis,-
Letum quo Titan lampada flammiferam
Nigrore obducens luxit, naturaque casum
Moerens discissis rupibus indoluit.
Quamquam naturae tot tristia monstra putanti
Indere tantam animo nil pote amaritiem,
Ille tuus quantam miscet dolor, optima Mater,
Ille dolor, tua qui pectora discrucians
Ingruit in te unam, multoque impensius haesit
Curarum torquens mole sub anxifera
Quam qui caelesti fulgentem in limine flammam
Restinxit, cautes rupit et indomitas.
Namque tuas rumor vix olim perculit aures,
Gnatum crudeles proripi ad interitus
Protinus exanimae, magno invadente dolore,
Membra tibi multo diriguisse gelu,
Et te plorantem perhibent inopemque vagamque
Lustrasse intentis omnia luminibus;
Te si qua ad dulcem ferrent vestigia Gnatum,
Vox si qua arrectas duceret auriculas.

Qualis et ad notum rediit cum cerva cubile
Si raptos nusquam comperiat catulos :
Quos late circum tellus perfusa cruore
Enectos rabidae dente fuisse ferae
Indicio est : prolis memor ilicet omne peragrat
Illa nemus, vigili cuncta tuens oculo;
Et forti si quid portenditur, haud mora, pernix
Illuc aligeris freta ruit pedibus;
Talis praerupto Solymorum in vertice turbam
Ut procul et densos intuita est gladios
Gressum illac mater; viso externata tumultu
Intulerat, via quâ sanguine monstrat iter
Ad divum : Gnati perquaerens ora tueri,
Adfigi et caro discupiens lateri :
Quam frustra matrum querulo cursans ululatu
Turba vocat, frustra miles et arma tenent.
Idne insperatum, Virgo, et nil tale putanti
Evenit? Ipse suum non tibi consilium
Abdidit Omnipotens : dium quo tempore partum
Ales praedixit nuncius, id pepigit
Ille quoque, ut pulcram quaerens in vulnera mortem
Filius aeternum pacificaret herum.
Sed non magnanimam qui parva a virgine noris
Faemineosque stupes consilio et decore;
Hanc Sobolis credas maternam fallere curam
Aut potuisse avido mittere amorem animo.
Quem sanctis olim incensum tot crescere flammis
Novimus aetherio quot vigil in spatio
Non cursus numerans, non sectas ipse dierum
Particulas Titan comperit esse suas :
Ergo curarum tanto nunc fluctuat aestu,
Ardescit quantis ignibus acer amor.
Quae simul ac summo patuit praecelsa jugo crux
Infabricata crebris aspera corticibus :
Non ignara, inquit, moles quid triste minetur,
Advenio, Gnati mater ut intuear
Crudele exitium : senior postrema Sacerdos
Nunc memini matri vulnera quae cecinit;
Multo illa aegrotoque animo graviora futura,
Et quem toto alui saucia amorem animo;

Quam si aciem ferri miles converteret in me,
Tingeret et saevus sanguine tela meo.
Haec secum: at clivi ut superans juga constitit, et jam
Letiferae proprius robora dura trabis
Attonitis immota oculis videt: o mea, dixit,
Progenies, miserae o dulce parentis onus,
Heu qualem sanctas quondam Simeontis in ulnas
Tradideram, qualem nunc ego te adspicio?
Pluraque conanti fari vox faucibus haeret
Interrupta: animum sed magis atque magis
Angit amor, Gnati cogens simul ipsa probare
Consilia, et tantum, quo stetimus, pretium.
Infelix homines patri genus atque parenti?
Tot simul impavidis vulnera luminibus,
Saeva patent lacero Gnati quae corpore, obire
Foedata et sertis tempora vulnificis;
Tum nigro plantas livore, manusque tumentes,
Trajicit horrendi quas fera vis chalybis;
Inque humeros flexum caput, ac pallentia morte
Membra, superfusi sanguinis et fluvios.
Sanguis at ille olim materna in Virginis alvo
Angustas nivei corporis ire vias
Coeperat, et pueri haud alios dabat ore colores
Quam quos ut multa lilia mixta rubent
Alba rosa; exangues qui nunc et corporis artus
Atque crucem infecit plurimus atque solum.
Stat durum Genitrix truncum complexa, levamen
Illa aliquod quaerens, non sibi sed soboli.
Heu miseram! luctus quae dum solatia quaerit
Exigua ingentis, certa dolore videt
Crescere materno curam, graviusque parentis
A duro Gnatum supplicio ingemere.
Ille et opem atque orbae solamen dulce senectae
Exsortem caris huic dabat e pueris:
Haec dono, et miseris suprema in morte querelis
Icta animum, immani ut cuspide, conciderat.

HEROICORUM.

ACTII SYNCERI SANAZARII.

DE MORTE CHRISTI DOMINI AD MORTALES.

LAMENTATIO.

Si quando magnum mirati surgere solem
Oceano, et toto flammas diffundere coelo:
Certatimque suo terras ambire meatu
Noctivagam Phoeben praecinctam cornibus aureis.
Aeternosque astrorum ignes, caelique micantes
Scintillare oculos, aliquem dare jura putastis,
Atque polo regnare, hominum rerumque parentem,
Cui mare, cui tellus, cui pareat arduus aether,
Cuncta supercilio qui temperet, hunc simul aegri
Mortales (si vestra dolor praecordia tangit)
Adspicite immiti trajectum pectora ferro,
Pectora, foedatasque manus, perfusaque tabo
Ora, cruentatumque, caput, crinesque revulsos:
Adspicite, et plenos lacrymarum fundite rivos.
Heu scelus! heu crudele nefas! jacet altus olympi
Rector: et amisso torpent elementa magistro.
Quin etiam vacuum adsueto sine pondere caelum
Nutat, et ipsa suum quaerunt solia aurea Regem.
Quem diversa procul saevo cum crimine tellus
Ignotum populis caput, et miserabile corpus
Sustinet, exsanguesque sinu complectitur artus.
Et tremefacta, graves testantur murmure quaestus.
Testatur sol ipse suum sub nube dolorem
Jam latitans: atraque notans ferrugine frontem.

Tu quoque deformesque genas, pallentiaque ora
Contigis, inferiasque tuo das, luna, Tonanti,
Auratum flavo tondens de vertice crinem.
Et lacrimas uda fundens in nocte tepentes.
Nec minus abruptis fama est exisse sepulcris,
Perque vias errasse novis simulacra figuris:
Excitasque umbras medias ululasse per urbes
Sub noctem, et notos questu implevisse penates.
Quid? non et pelagi rabies adtollere fluctus
Immanes visa est, montesque evolvere aquarum
Dejectura urbes, terrasque haustura profundo?
Quum simul et caput undissonis emersus ab antris
Caeruleus Triton rauco super aequora cornu
Constreperet, nautasque horrenda voce moveret
Naturae cecidisse Patrem, Regemque, Deumque.
Haene manus vasti junxerunt foedera mundi?
Harum opus est, quodcumque jacet, quodumque movetur?
Quidquid ubique parens rerum natura gubernat,
Frugiferens tellus, foetumque animantibus aequor,
Vitalisque aer, atque ignibus aethra coruscis?
Et nunc (proh facinus, quantum potuere nocentum
Flagitia) immissis dant pervia vulnera clavis,
Liventesque atro foedant squalore lacertos.
Heu caput indignum spinis, venerandaque caelo,
Et toties clara stellarum implexa corona
Cesaries: heu pectus hians: convulsaque dira
Barba manu: tunsiqne artus: et frigida membra.
Vosne, pedes, caelum premere, et vaga sidera sueti,
Fulgentesque domos superum, sublimia tecta,
Tam saevae immanes perpessi cuspidis ictus,
Et terram, et duras sparsistis sanguine cautes?
Nec trepidat mens caeca hominum? quae tanta tenaci
Durities in corde riget? num nigra videtis
Tartara, tot claris hominum viduata trophaeis,
Desertasque in nocte domos, et tristia regna?
Felicesque animas laetum Poeana canentes
Pone sequi Regem, et caelo insedisse sereno?
Quid si non tantos subiisset sponte labores,
Humanamque sua pensasset morte salutem.
Ille sator, rerum, et summi mens certa parentis

Qui nutu ingentes mundi moderatur habenas?
Ut tandem intactos picea Phlegetontis ab unda
Post obitum aeternae donaret munere lucis,
In partemque suorum operum, regnique vocaret;
Tantus amor generis servandi: et gloria nostri.
Quare agite, ex animis, mortales, pellite vestris,
Si quid adhuc manet antiqua de sorte relictum:
Mendacesque Deos, et detestanda piorum
Sacra profanatis tandem detrudite ab aris.
Imbuat effuso terram nec sanguine taurus;
Nec miser ille suae divulsus ab ubere matris
Ignotos agnus balet super hostia cultros.
Vivat ovis: vivat quidquid sub sole creatum est
Mentem, animumque Deo, non thura aut exta parate
Has illi pecudum fibras, haec reddite dona·
Cernitis, ut pronum flectat caput? ut pia pandat
Brachia? et ingratas vocet ad sua vulnera gentes?
Oblitasque viae moneat meminisse relictae,
Scilicet amplexu non rejecturus amicos?
At vos obtusas ignari avertitis aures,
Infelix genus, et saevae ludibria mortis:
Nec, quanta a tergo jam instent tormenta, videtis.
Tempus erit, quum vestra illum commissa notantem,
Multantemque reos, altaque in nube sedentem
Adspicietis: et horrentes tremor opprimet artus.
Nec jam ferre oculos flammarum ardore coruscos,
Aut tumidos acie vultus contendere contra
Audebit quisquam sibi conscius. Ibit in ignes
Turba nocens; sontesque exsolvet corpore poenas:
Pallentesque aeternum amnes, vastasque lacunas
Cocyti colet, et furias horrescet hiantes:
Atque animum monitis non intendisse pigebit.
Tunc vos exactae capient mala tedia vitae
Expertes caeli, atque aurae sub nocte profunda:
Inque caput trifidos nequicquam optabitis ignes:
Et frustra erectas tolletis ad aethera palmas.
Quos superum coetus, et fortunata piorum
Agmina vix lacrimis poterunt spectare retentis.
Invidiae stimulis, Dirisque ultricibus actos.

Ergo vitales, miseri, dum carpitis auras
Dum compos mens ipsa sui est, dum certa facultas,
Dum ratio, tempusque sinunt; simul ite frequentes,
Ite pii, veniam factis exposcite vestris:
Ite animos purgate: Orcique inhibete rapinas:
Et tandem patrio mentem convertite caelo.
Sic rex ille hominum vacui spoliator Averni
Oblitus scelerum; cognatae stirpis amore,
Promissique memor, mentes intrabit amicas,
Vestraque posthabitis recolet praecordia templis.
Postque tot exhaustos vitaeque, obitusque labores
Illo quo pluvias, quo pellit nubila, vultu
Ablutos labe excipiet, laetusque reponet
Sidereos inter proceres, sanctumque senatum,
Sub pedibusque dabit stellantia cernere claustra.

BASILII ZANCHI.

DE EXTREMO JUDICIO.

Qua flavus laeta arva secat Laurentia Tybris,
Et studia, et curas hominum miseratus inanes,
Stratus eram viridi in ripa: lacrymisque profusis,
Populea mecum tristis meditabar in umbra.
Heu! miserum mortale genus caligine caeca
Volvitur: et Ditis tenebris, et nocte profunda
Mergimur, et sontes ultro properamus ad umbras:
Celestesque domos, promissaque gaudia caeli
Deserimus, fontemque boni, vitamque perennem
Auctorem rerum! patrio qui vinctus amore
De nihilo similesque sui, rerumque suarum
Haeredes; quos regna manent, quos praemia vitae,
Edidit, et summo cives transcripsit olympo.
At nos, o miseri! spreta pietate profundum
Tendimus in barathrum, rapidique Acherontis ad undas.
Ac veluti deprensa noto, et pluvialibus hoedis
Indefensa ratis, proprioque excussa magistro,
Fertur in abruptum praeceps, et vortice nigro
Obruitur, fractoque natant vaga lintea malo:
Sic alius ruit in praeceps, dum serica mollis
Texta trahit demissa humeris: nardoque capillum
Perfusus, vernaque rosa, pictisque tapetis
Discumbens, longosque fovens malesanus amores,
Cui citharae tantum, cui dulcia carmina cordi,
Exhaurit largo rorantia cymbia baccho.
Atque alius congesta sibi, et male parta reponit
Infelix, multoque auro et laquearibus ornat
Tecta polo vicina, altisque innixa columnis,
Et caecus simulacra colit jam luce carentum,

Quos Erebus, quos flamma vorax, quos Tartara torquent
Sunt quibus et populi fasces, et publica curae
Munera, tergeminos pars decolor ambit honores,
Caelestis patriae patrumque oblita piorum,
Judicis et magni vultus: qui tempore certo
Quaesitor spectante polo sua praemia cuique
Persolvet: scelerata cohors pallentibus antris
Claudentur, meritasque luent sub judice poenas.
Hei mihi! jam gelidus torpentia corpora languor
Occupat, et tenebrae lacrimantia lumina condunt.
Heu! quae signa dabit magni Fabricator olympi
Ante diem extremum? variis minitantia signis
Castra movent, lituique meas vox personat aures:
Humanoque rudes pinguescere sanguine campos
Aspicio, praeter solitum furor arma ministrat,
Et furor, et proprio rabies suffecta veneno:
Armati jam bella cient mavortia reges:
Quas strages corrupta dabit mortalibus aegris
Tempestas caeli? video morientia late
Corpora, et exangues per prata vigentia tauros.
Exanimata jacent densis animalia silvis
Informes ursi, et maculoso corpore tigres:
Bucula corruptosque lacus, infectaque tabo
Pabula vitabit, fugietque impasta per agros
Huc illuc pedibus linquens cava signa bisulcis,
Et vituli infectis teneri morientur in herbis
Flumina, quae nunc plena fluunt exercita cursu
Arescent, liquidique lacus: nec florea Tempe
Amplius e dulci perfundent fonte liquores.
Hinc terrae tremor, hinc ventorum praelia terrent
Mortales, quatiuntque suis cum moenibus urbes,
Tranquillumque cient diversis flatibus aequor,
Nec tumidum sese capit: undique turbine crebro
Horrendum fremit, et terram circumsonat undis,
Undarumque vomit spumanti in litore molem.
Nec distincta nitet caelo thaumantias Iris:
Jam terris foedata negat sol aureus ora:
Condit et ipsa suos pallens Latonia vultus:
Et nos atra diem nigrantibus occulit alis.
Non alias cecidere polo tam multa silente

Sidera, et incensi caudis flammantibus ignes.
Sic fera sanguineus portendens bella cometes,
Dirus hyperboreas nuper conterruit urbes;
Explicuitque jubar longe, flammasque comantes.
Unde novus câelum ac terras depascitur ignis
Victor ovans? jam saeva rapax incendia volvit,
Atque elementa jacent veteri viduata figura.
Per sudum jam nulla volat pennata volucris:
Jam venti posuere, sonant nec flamina silvis.
Telluremve movent presso sub vomere tauri;
Nec genus aequoreum liquidas perlabitur undas,
Nec remis velisque secant vada caerula nautae.
Ecce mihi plumata cohors stellantis olympi,
Aetheris immensi vigiles dispersa per orbem
Ossa simul, cineresque legunt, quacumque recurrens
Quatuor a ventis rutilantia lumina titan
Explicat, et magnum circumtegit omnia caelum.
Telluris patuere sinus, patuere repostae
Oceanique domus, Neptunique humida regna.
Ecce aliud majus longe, ac mirabile dictu
Objicitur: crepuere tubae radiantis olympi;
Audiit et caeli chorus ingens: audiit omnis
Terrarumque marisque situs, stygiique recessus.
Exsurgunt defuncta sua jam corpora vita,
Humanasque animas in corpora quasque reverti
Jam sua Rex jubet ipse hominum Divumque repertor:
Quascumque a primo genitalis origine mundi
E nihilo in tenues rerum sator edidit oras.
Ordine quemque suo statuunt gens inclyta caeli:
Qualis ubi ad caulas pastor jam sole cadente
Et placidas deduxit oves, hoedosque petulcos,
Et placidas discernit oves, hoedosque petulcos,
Qualis ubi jam lina vigil prope litora legit
Piscator, purosque sedens in vimina pisces
Deligit, et putres volvunt per caerula fluctus,
Laeva tenent tristes animae, quae jussa supremi
Contempsere Patris, brevis haec dum vita manebat,
Dextrum turba latus, magni praecepta Parentis
Quae coluit, patriique viam delegit olympi.

O qui digressus, o quae suspiria tristi
Corde trahet malegrata cohors, quum filia matrem
Scandentem superas caeli spectabit in auras,
Ipsa solo deserta jacens, jam proxima Diti!
Aspice sublimes animas sine pondere corpus
Tollere et aerios subito conscendere tractus.
Occurrunt Regi Regum felicia CHRISTO
Agmina, felices animae, felicia semper
Corpora: queis vesper cedat, queis lucifer ora
Extollens, surgensve nova cum lampade Phoebus.
Ecce iterum caelo adventat, qua lumine primo
Exoritur rubicunda dies: non paupere cultu
Occultans decus immensum, sed qualis olympo
Apparet luce ingenti, radiisque coruscus,
Fulgentemque gerens auro gemmisque coronam.
O qualis facies, o quae clarissima vultu
Sidereo nova flamma micat, quae lumina fronti!
Laetanturque tremuntque simul gens aetheris alti,
Observantque Dei nutus atque ora silentis.
Ipse autem caeli medio, in regione serena,
Bissenos inter proceres, quos sedibus altis
Ipse locat, sociosque sibi delegit JESUS,
Ignaros olim rerum, nodosaque ponto
Jactantes lina et tenui freta longa phaselo
Sulcantes, queis parva domus, vilisque supellex,
Subnixus solio, ac Superum stipante corona
Innumerabilibus confecta volumina chartis
Expandit conscripta notis caelestibus, alti
Regnatoris opus: queis secula longa recenset
Humani generis, cunctamque ab origine gentem:
Queis scelerum facies, et crimina cuncta patescunt
Et tristes curae, et caecae mala gaudia mentis,
Et sceleratus amor, venerisque immensa cupido,
Atque auri malesuada fames, laudumque voluptas.
Nec mora, sublimes animas vultuque sereno,
Et blandis Rex ipse vocat sic vocibus ultro:
Nunc o, nunc, animae illustres, carissima Patri
Pignora, felicis magnum aetheris incrementum,
Accipite promissa olim caelestia regna:
Vos etenim legemque meam, atque exempla sequuti,
Implestis sacrum summi Genitoris amorem.

Tum demum immites animas compellat amaris
Vocibus: O miserae mentes, o pectora caeca;
Quas regni vesanus amor, quas dira cupido
Corripuit, quae sponte meum sprevistis amorem,
Fulgentesque domos, et caeli lucida regna:
Ite, animae, sine sole domos, sine sidere regna.
His dictis, sontes animas, et pectora dira
Immerget fumante vado Phlegetontis avari
Tartareus Pluton, tenebrisque involvet Avernis
Inclusos barathro, manibus pedibusque revinctis:
Hic ubi deformes animas, deformia semper
Corpora perpetuus sine lumine pascitur ignis,
Ignis inexpletum torrens (miserabile visu):
His lacrimae sine fine fluunt, sine fine nigrantes
Conspiciunt erebi cives, crudelia monstra.
Clamorem horrendum referam, saevamque mephitim,
Obscenamque famem, et sitientia guttura semper?
Qui dentis stridor, rabidae quae sibila linguae,
Quive feri erodunt graveolentia corpora vermes?
Parte alia insontes animae rutilantia caeli
Templa petunt: resonat laetis clamoribus aether,
Ductoremque suum laetanti voce salutant.
Excipit has Pater ipse sinu, gaudentibus ora
Conspergunt lacrimis: lacrimas Pater ipse beatis
Deterget manibus, positisque accumbere mensis
Imperat, et laeto convivia ducere coetu.
CHRISTE Pater, divum atque hominum justissime
Judex,
Da nomen celebrare tuum: da jussa verenda
Diligere, et patrio mentem defigere caelo:
Ut cum summa dies aderit, te Judice caelum
Scandere, et aeternis liceat considere mensis.

HYMNUS PACIS ÆTERNÆ.

O quae Caelicolum sedes, quae lucida templa
Prima tenes, prima ante omnes fulgentia cernis
Ora Dei, totoque nites pulcherrima caelo,
Huc aditum, Pax alma, feras pede diva secundo;

Et tecum terras non dedignata labentes
Devolet auratis splendens Concordia pennis
Unanimis soror, et mistum cratera recenti
Nectare, et aeternum secum ferat aurea cornu
Puniceis plenum pomis, et divite silva.
Te duce larga Ceres flaventibus adspicit arvis
Agricolas; vestitque suo jam palmite colles
Liber; et evinctae texunt umbracula vites,
Vinitor et mites decerpit collibus uvas;
Et foetus Pomona novos foecunda ministrat.
Adventuque tuo laetanti daedala tellus
Et gremio jam fundit opes; jam caerula Tethys
Mittit inexhaustas utroque a litore merces.
Ingenuae florent artes, atque otia dia,
Et divina pii meditantur carmina vates.
Te Pietas, te cana Fides, Astreaque Virgo,
Quacumque ingrederis, Dominam comitantur euntem.
Te regnante novi quondam sub origine mundi,
Et felix aetas, et libera saecla fuere;
Largius et plenae spumarunt nectaris urnae.
Ergo agedum, o sincera quies, et casta voluptas,
Praepetibus pennis, varioque insignis amictu,
Labere, Diva polo, mentique illabere nostrae:
Qualis ubi Eoo revocavit saecula busto
Laetus ad Aetiopas remeat, terrasque beatas
Adspiciens laeto phoenix clangore salutat,
Insontes populi visa procul alite currunt:
Allapsamque polo recipiunt, gaudentque tuentes,
Ut quondam reduci laetantur vere volucres.
Jam placidis Tiberinus ovans tibi surgit ab undis,
Rorantes viridi praecinctus arundine crines;
Urna humero in laevam, dextro subnixa fluentum
Versa vomit, repletque undis spumantibus alveum:
Hinc Anio, liquidisque fluens discursibus Almo,
Et circum longo Laurentes agmine nymphae
Advexere tibi gemmantes litoris algas;
Et quae rore graves Indae dant pignora conchae,
Oceani quaesita vadis advexit Oreas.
Te Romana nurus, teque inclyta turba Quiritum,
Implorat, sertoque comas viridantis olivae

Et lauro plexisque rosis tibi laeta coronat,
Et Capitolinis visendam sedibus olim
Marmoream parat effigiem; cui thurea dona
Incendat, patrioque ferat solemnia ritu,
Solemnesque aras, votivaque sacra frequentet,
Teque, tuumque canat ventura in saecula nomen.
Tu tantum Ausoniam, Romanaque moenia felix
Invisas; Latiisque volens victoria castris
Advolet; et virides substernat gloria lauros.
Jam tandem imperii sedes Regina triumphis
Quacumque auricomum phoebus jubar aethere pandit,
Quacumque hesperio tellus protenditur axe,
Qua calet, et glacie algenti riget obsitus orbis;
Attollat caput, et priscis decora alta trophaeis
Adjiciat, nec dura pati pro laude recuset.
Jam tandem Dominam agnoscant Hebrusque Tagusque,
Sentiat et tumidi jam mollior accola Rheni,
Et septem geminis responset collibus Echo,
Victor io Romanus io nova signa reportat;
Praecedantque duces onerati colla catenis.
Sub te ferratos belli concordia postes
Effringet, caput infandum furialis Enyo
Tartareis condet tenebris, et nocte profunda.
Ipsa sinu, scissaque gemens Discordia palla,
Cocyti stagna alta petet; violentaque bella
Involvetque Chao, atque Erebi pallentibus umbris:
Et tandem fumante vado Phlegetontis avari
Immerget Pater omnipotens, qui sanguine Gnati
Unigenae pacem terris, caeloque reduxit.

P. RAYMUNDI CUNICHII.

DE B. M. V. IN COELUM ASSUMTA.

Primus ego (subitus me jam rapit ardor, et urget
Flamma quae vatem sacro vis concitat igni)
Primus caeruleos penna levis altivolante
Metior en caeli tractus. Juvat ire supremas
Divorum longe ad sedes, transque ignea ferri
Sidera, trans rapidum solem; juvat aurea divûm
Tecta oculis, magnique domum lustrare Tonantis.
Non ut pennigeros caeli stellantis alumnos,
Fulgentem radiis pubem diaque micantem
Luce, patres non ut priscos, patrumque beatam
Progeniem, coetusque almos, et laeta piorum
Concilia, illustres animas, regnoque potitos
Perpetuo heroas, mirer: non civibus illis
Urbs ut digna auro, claroque ornata pyropo
Suspensum teneat; portaeque et strata viarum
Gemmea, et immensas solido adamante columnae,
Aut magnum, puris magnam quod fluctibus urbem
Proluit, exundans jucundo nectare flumen
Laetitiae, curamque omnem, seniumque, laborumque
Omne genus primo libatum diluit haustu.
Non haec pulchra pium vatem spectacla morentur.
Unus amor menti est, una haec sub corde cupido
Aestuat, aetherias inter spectare cohortes
Te, Divûmque Regina, unam, te figere in una
Ardentes oculorum acies, pascique videntem
Te Diva, eque tuo suspensum lumina vultu.
Nam qualis formosa novo se attollit ab ortu
Mane oriens Aurora, horis comitantibus, axem
Solis ubi antevolat; Zephyri mollesque favoni

Densantur, luduntque alis, nubemque rosarum
Purpuream spargunt late: circum undique rident
Aequora, ridet ager, resonant nemora avia cantu.
Talis ..... non talis, multo sed pulchrior ortu
Quam claro late fulgens Aurora; nitentes
Vel formosa inter stellas argentea Luna;
Plena Deo, nitensque olli, cui caerula nutu,
Ventorumque domos liquidas, convexaque caeli
Temperat, ex humili tellure assurgis, et auras
Exsuperas, nimboque altum sublata per axem
Eveheris Regina: procul tibi maximus altis
Sedibus exsultans venienti plaudit olympus.
Ut sol! ut pulchre diffuso lumine Divam
Unde unde aurato radiorum amplectitur orbe!
Ut sese in morem famulantis candida puris
Admovit plautis, cornu et contraxit utrumque,
Formoso divae gaudens pede Cynthia tangi!
Ipsa orbes oblita suos, caeloque refixa
Sidera in occursum properant, circumque supraque
Virgineo affulgent capiti, dominamque potentem
Gemmarum in speciem bissena luce coronant.
Quid memorem ut varios obliquat desuper arcus
Atque crocum, atque rosas, et purpureos hyacintos
Diffundit, spargitque viam thaumantios Iris
Antevolans florum nimbo, pennisque coruscat
Versicolor? Totis quid caeli undantia portis
Agmina caelicolum referam, fremitusque volantum
Aligerum, primos olim quos condidit auctor
Caelipotens tibi, Diva, parans formaque decorum
Stipatorum agmen, celeresque ad jussa ministros?
Qui caeli supera alta choro, caetuque frequenti
Pervolitant, quantumque alas curruque locatam
Nubivago, pars ante eunt, pars caetera pone
Castrorum in morem sequitur: nec bellica desunt
Tympanaque, lituique, et dulci tibia cantu.
Quos densi geminant plausus! quae carmina jactant
Aeterni chorus hic hominum, chorus ille canentum
Aligerum! humano prognata ut sanguine labem
Vitavit felix patriam, nec sensit, origo
Quae seris infert culpae contagia gnatis.
Ut stigium contra, metuenda virago, draconem,

Insidias pedibus meditantem, et dira moventem
Praelia, constiterit bellatrix; ut pede pressit
Insultans, victumque imas dejecit in umbas:
Nec squammas foede horrentes, nec verbera caudae
Pertimuit. Tu tartareas, invicta, phalanges,
Plutonemque atrum, fratresque, immania, terres
Monstra Erebi, centumque feram serpentibus hydram.
Te rerum Genitor Gnato dedit ipse parentem
Esse suo. Supera caeli te sanctus ab arce
Ipse Vigor, puros foecunda luce per artus
Illabens matrem fecit: te te ipsa Tonantis
Unigena aeterni matrem vocat, et tibi debet
Mortales artus, caeli qui sidera torquet
Omnipotens. Hominum tu spes; tu causa salutis
Tu melior miseris mater mortalibus, Heavae
Quae foedos reparas lapsus, genus aurea supra
Astra tuum caelique locans in parte sereni.
Sic memorant; festis late concentibus aether
Arduus; et magni resonant latera ultima mundi.
Moenibus ut quondam patriis pulcherrima Judith,
Assyrium postquam nocturna caede tyrannum
Perculit, evasitque omnes imperdita casus;
Processit Tyrio fulgens in murice, dextra,
Abscissumque caput, rorantem et sanguine, quassans,
Attollensque comam; fremitu circum undique laeto
Plaudentum vallesque cavae, montesque sonabant.
Haud aliter caelo Divam exultantia ducunt
Agmina caelicolum, solio quam Natus ab alto
Invitat regni in partem, sceptrumque parenti
Ipse suae, rerumque ingentes tradit habenas.
Salve o caelicolum Regnatrix! stella supremo
Fixa polo, auxilium mortalibus, ira frementis
Haec pelagi, rerum fessos, mergique timentes
Quos tumido versat fluctu, quos tramite recto
Excutiunt nigra turbante nocte procellae.
Salve iterum. Hoc dubium vitae qui currimus aequor
Te sequimur caelo ardentem, magnaque vocamus
Voce: viam tu da facilem; tu dirige proram
Errantem, ne quassa undis, ne turbine victa
Deficiat, possitque suos ut tangere portus.

MATRI MOESTISSIMAE.

Moesta Parens, tibi nam, tibi ritae hoc flebile carmen
Ingredior; juvat, alma, tuos evolvere luctus
Gliscentesque animo curas et vulnus adactum
Immane, atque pio tecum tabescere fletu.
Tu vatem, tu sancta tuae penetralia mentis
Intrantem, inque tuo figentem lumina corde,
Diva, regas: da vera, isto da digna dolore
Verba favens, numerosque et vocem fletibus aptam:
Dic, primus, dic te medius, dic te dolor aegram
Postremus quinam luctu complerit amaro?
Ille tuus dias cum venit lucis in auras
Unigena, hirsutumque infans vagitibus antrum
Impulit exortu in primo, moerore tuum cor
Concussit, fecitque altum sub pectore vulnus.
Ut moesta, ut lacrimis oculos tumefacta nitentes,
Diva, tuam flebas prolem, foenoque rigentem
In viridi, pecudumque intra praesepe jacentem!
Non cunae molles aderant, non vellera, non quae
Duram hiemem, et gelidas arcerent strata pruinas:
Sed nudus, sed desertus sub rupe jacebat
Algenti ventorum anima pulsatus, et imbri.
Tu caro defixa oculos in pignore flebas
Nequicquam gemitu, gravibusque exercita curis.
Praecipue veniens octava ut luce sacerdos
Cultro lacteolum corpus tentavit acuto,
Ille notam inscribens prisco de more piorum,
Abramidum; primus puerili e corpore sanguis
Ibat, tu lacrimas fundebas, Diva, tepentes.
Quid loquar ut Puerum senior complexus ad aram
Horrendos cecinit casus, vertendaque in unum,
Ceu staret signum telis, odia effera dixit;
Teque, Parens, gladio sectam cor flevit adacto.
Ecce autem infandi exoritur nova caussa doloris.
Horrendum infremuit crudeli percitus ira,
Ille dolos, dirumque nefas, et vulnera nato
Foeda parans regi, Solymae rex impius: at tu
Prolem ulnis complexa tuam longinqua petebas
Regna fuga; per et anfractus, et longa viarum

Obscura sub nocte ibas; strepitumque timebas
Labentum foliorum, et rauci murmura fontis;
Respectans tremefacta ferus ne qua ingruat hostis
Incautis, tergo ne quis fugientibus instet.
Exul, inops, defessa, ingenti victa dolore,
Carpis iter dulci a patria, carisque propinquis,
Hostilem longe ad terram, malefidaque regna.
Nili regna tuae genti malefida, tuorum
Isacidum largis manentem fletibus oram,
Antiquas stellarum sedes, ubi cultor Osirim
Plurimus obscenum celebrat, rituque nefando
Incestamque Isim et latrantem placat Anubim,
Compellans rerum dominos coelique potentes.
Sed bene habet: Genitor Pelusi finibus ipse
Abduxit Gnatum revocans, licuitque reversis
Jordanem et patrias longo post tempore sedes,
Et Solimam et sancti penetralia visere templi.
Me miserum! novus ecce iterum tua gaudia fletus
Excipit; e templo sacris nam forte peractis
Dum secura, timens quidquam nec tale, redibas,
Ille tuus, tuus ille puer, tua vita, tuum cor,
Et corde et vita multo tibi carior ipsa,
Defuit: amissi nusquam vestigia, nusquam est
Quaerenti qui certa ferat. Quae verba locuta es
Digrediens coetu a comitum, atque iter omne retexens,
Amissumque vocans frustra, passimque vagata
Qua te cura ingens, qua te dolor anxius egit
Sollicitam pueroque nihil non triste timentem!
Qualis ubi dulci e nido sibi turtur ademptam
Progeniem sensit rediens, miserabilis omnem
Pervolitat late silvam, densasque latebras
Solorum lustrat nemorum, non pabula nota,
Non liquidos curat fontes, desertaque longam
Exercet gemitu sola sub nocte querelam.
Sed quid ergo haec autem tam longo carmine luctus
Prima sequor? primam pavidus ceu litoris oram
Nauta legit, medioque horret se credere ponto.
Tempus et extremos versu jam pandere fletus,
Atque altum immensi pelagus tranare doloris.
Aspectu licet horrifico tremefacta labet mens.
Ah! mater, jam vix mater, tuus ille, Tonantis

Ille idem aeterni proles crudelibus insons
Urgetur poenis, insano densa tumultu
Plebs fremit: ingeminat circum praetoria clamor
Poscentum ad caedem, lethumque informe parantum.
Huc urbe in media ducti cessere triumphi
Atque dati plausus populorum, oleaeque virentis
Jactati manibus rami; substrataque vestis
Certatim, et turmae laetum peana canentes
Quae tute, ut perhibent, laetanti pectore cuncta
Virgo tuens guati Gaudebas mater honore.
Nunc eadem ploras lictorum urgente caterva
Duci ad supplicium foede, laniataque supra
Terga crucem gestare, informi robore truncum -
Immanem; et saepe in mediis conatibus aegrum
Defluere ad terram languenti corpore, miles
Dum furit, objectatque moras et calcibus urget
Lapsantem et duras spargentem sanguine cautes.
Diva tibi quae mens, materno in pectore quinam
Sensus erat tali versantem in turbine Gnatum
Cernenti! quoties conata irrumpere turmas
Per medias, per tela, tuique oblita pericli
Auxilioque levare aliquo et supponere dextram
Labenti, atque tuis immanis pondera trunci
Ipsa subire humeris conantem plurimus arcet
Scutorum objectu miles, longeque repellit.
Ah quid agas miseranda parens! quod restat euntem
Prosequeris frustra lacrymans. Iam culmina montis
Ad summa horrendi ventum est: ah protinus hinc te
Proripe! parce oculis atque aures obstrue mater
Infelix! Sonuere ictus, palmasque pedesque
Transadigunt duris obtusa cuspide clavis.
Tollitur en pinu in gemina, convicia circum
Foeda sonant, totoque effusus corpore sanguis
Vicinas et per rupes, squallentia pallor
Inficit ora, notant oculi jam morte propinqua.
Parce oculis: longe, longe hinc te proripe mater.
Quid loquor, et frustra demens caelestibus obsto
Consiliis? nempe huc caeli Rex ipse Parentem
Horrendam Gnati ad caedem et crudelia duxit
Funera, ne saeclis desint exempla futuris
Scilicet, ac gentes noscant quid mascula virtus,

Virgo, tui quid firma animi constantia possit.
Ipsi etiam montes, ipsa horrenda lustra ferarum
Dissiluere, alto intremuit concussa fragore
Tellus, ipse etiam celso turbatus olympo
Sol caput auricomum involvit pallentibus umbris:
Tu nec scissa comam, nec pangens pectora palmis
Pectore nec fundens e sollicito singultus,
Infandi luctus patiens, invictaque stabas.
Stabas ut defixa altis radicibus ingens
Quercus, vel tumidis rupes quae tunditur undis
Nequidquam: hinc spumis salsaque aspergine cantes
Albescunt atque hinc, cedit non illa fragori
Horrisono, insanis cedit non fluctibus usquam.
Talis eras tua sic duris exercita rebus
Nec frangi, nec flecti usquam constantia quibat;
Ingenti pulsata diu, nec victa dolore.
Salve igitur matrum quot sunt moestissima Virgo
Salve matrum eadem quot sunt fortissima; jure
Suavidici Vates te cantu ad sidera caeli
Tollimus, atque tuos rite instauramus honores.
Salve iterum, et nobis qui Te, qui funera Gnati
Flemus dura tui, da largo humescere fletu,
Atque aliquam vestri partem sentire doloris.

LYRICORUM.

BASILII ZANCHI.

SPIRITUI SANCTO DONUM.

Quis mihi multiplici selecta ex arbore cocco
    Punica mala legat?
Immenso exiguus quae munera mittat Amori,
    Munera parva Mycon.
Dulcis Amor, qui cuncta creas, quippe omnia large
    Sufficis alme manu:
Fac nostris fecunda tibi succrescat in hortis,
    Punica poma gerens,
Purpureisque tibi pulcherrima foetibns arbos,
    Threiciamque Samon
Provocet, et quae leta ferax septemplice Nilus
    Flumine culta rigat.
Quotque virens distincta levi sub cortice malus
    Dulcia grana tegit:
Tot stimulis sacer ardor agat, tot fervida flammis
    Pectora nostra calor,
Quem non ulla queat restinguere mobilis aura,
    Canave bruma gelu.

DE GAUDIIS CAELITUM

Eja age care mihi tenerum dic Barbite carmen,
    Dic meliore sono:
Exultentque novo resonantes pectine chordae.
    Vos mihi, Caelicolae,

Adsitis, dum dextra movet levis aurea plectra,
Carminibusque novis
Alipedesque choros, et adhuc sine corpore vitas,
Gaudiaque ampla Deum
Concelebrat. Vos plectra mihi, vos ora movete:
Carminibusque novis
Concelebrate Deum, qui terno numine caeli
Aurea templa tenet:
Aetheriasque urbes vobis, radiantia tecta
Incoluisse dedit:
Atque vias vitro atque auro calcare nitentes,
Floribus et variis:
Et dites fecit Pater optimus undique donis
Innumerabilibus:
Distinxitque choros, distinctisque agmina signis,
Et recinente tuba.
Ast aliis aliisque dedit testudine et aurea
Concinuisse fide:
Sub pedibusque novem spectare volumina mundi,
Sidereasque plagas:
Quae primordia rerum: ignes qui lucida pascant
Sidera perpetuo:
Utque pater sol ipse suo sua sidera cursu
Temperet ignipotens:
Ut bijuges vaga luna regens per inania currus,
Tempora certa ferat:
Tum celer occasus phoebi quantum absit ab ortu,
Qualis uterque polus:
Ut gravis immenso dependens aere tellus,
Pondere firma suo
Subsidat, revocetque novo nova germina foetu:
Queis pia mater alat
Alituum pecudumque genus, genus omne animantum
Quam pater oceanus
Hinc atque hinc fluitante sinu complexus uterque
Humida regna tenet:
Atque ingens tot monstra, feras tot caerula subter
Aequora semper alit.
Vos hominum genus ex alto, durosque labores
Cernitis intrepidi:

Hic sterilem assiduo dum frangit vomere terram,
Et nemora alta colit;
Hic rigido latus ense tegit, sequiturque cruentae
Munera militiae:
Ille levi victu invigilans petit aequora cymba,
Nec timet Aeolio
Emissamque hiemem, rapidosque e carcere ventos,
Undisonumque mare.
Vos loca senta situ, vos luce carentia regna,
Funeraque atra virum,
Et scelerum ultrices justo sub judice poenas
Cernitis intrepidi.
Funeris expertes omnes, curisque solutos
Otia dia tenent:
Felicesque animi, atque operum caelestia tecta
Perpetuum colitis.
Hic ubi sudanti stillant opobalsama ligno,
Puraque mella fluunt:
Fragrantesque ferunt rami fragrantia semper
Ordine poma suo:
Auricomumque recens, nostrisque incognita silvis
Perstrepit aura nemus:
Argutoque rigans vernantia culta perennis
Labitur unda pede.
Hic ubi vos sine fine juvant redolentia prata,
Purpureasque rosas
Nectitis et niveis et cyaneis hyacinthis.
Hic ubi perpetuo
Vere tepet geniale solum, nec solibus aestas,
Nec nive saevit hiems:
Alteriusve diem revehit sol aureus almum,
Pulchrave luna nitet:
Sed radiis late illustrat rutilantibus Agnus
Sidere candidior:
Atque immortali resplendent omnia luce,
Omnia plena Deo:
Sed sedes Pax alma colit, Pax optima rerum:
Pacis et alma comes
Summa quies, cuntusque vigent: choreasque Juventa
Florida semper agit.

Hic ubi se solio ex alto demittit Jesus,
Sceptriferaque manu
Nectareasque dapes gemmantibus ordine mensis,
Ambrosiamque parat,
O quae, Caelicolae, vos o quae gaudia tentant,
Veraque pax animi,
Flammantis regina poli quum lumine blando
Exerit ora micans,
Virgineasque agitat choreas, sistroque repulso
Carmina mille canit!
O quae, Caelicolae, vos o quae gaudia tentant,
Veraque pax animi,
Quum lucem immensam, regemque ardentis olympi,
Tergeminumque Deum
Sublimem aspicitis solio, radiisque coruscum,
Luminibusque novis!
Hic requies, hic pax animis placidissima vestris,
Vitaque perpetua.
Felices! queis lucem ipsam, quibus alma tueri,
Fulgidaque ora datur:
Sive poli lustrare juvat regna omnia circum,
Seu mare velivolum:
Seu terras celeres supra, seu visitis infra
Regis ad imperium:
Respicite o! mortale genus, curisque gravatum,
Ferte et opem miseris:
Ut tandem culpae exsortes transcribat olympo
Arbiter omnipotens:
Aeternasque domos, superique sedilia caeli,
Praemiaque ampla Patris
Accipiant, laudesque canant et pectore et ore
Insatiabiliter.

Sume iterum, mea Musa, lyram: nova pectine fila
Percute Melpomene:
Linque solum, curasque humiles: juvet ardua pennis
Transiliisse poli:
Teque choris miscere Deum, nova carmina Divum
Ingeminare chely.
Ecce canunt, dulcique sonant sua gaudia cantu,
Et recinente fide:
Quas laudes tibi, summe Pater, quas solvere grates
Caelicolae valeant?
Tu fons ipse boni, nulliusque indigus unquam,
Vitaque perpetua:
Tu nos, alme, creas, tu nos in lumina vitae
Exeris e nihilo,
Illustrasque tuae radiantis imagine formae,
Assimilesque facis.
Nos propter claustra ampla locas flammantis olympi
Aetheriasque domos
Argentoque auroque et versicoloribus ornas
Daedale sideribus:
Ex solidoque adamante fores, viridique smaragdo,
Sardonycheque micant.
Gemmatasque arces, gemmataque moenia condis,
Conspicuasque vias.
Hic ubi muneribus late, Pater optime, rident
Omnia plena tuis;
Innumerasque acies; rutilantiaque agmina Divum
Urbe, domo socias:
Consortes Pax alma regit, consortia nescit
Vincula semper Amor,
Omnipotens, venerandus Amor, diffusilis Aura,
Numine cuncta fovens.
Hic ubi te lucem immensam, te gaudia Divum
Nosse datum Superis:
Ardentesque oculos, fulgentiaque ora tueri,
Et sine fine frui:
Atque immortales laetanti carmine laudes
Concinuisse Deo,

Atque incredibiles haud fesso pollice grates
Persoluisse lyra.
Felicesque tibi gratantur, Maxime Divum,
Ordine Caelicolae:
Felices quos perpetuo nova gaudia complent
Quo se cumque ferunt.
Quos supra lux pura micat, lux omnia replens,
Tergeminusque Deus,
Omnigenumque Deum rector, rerumque repertor:
Unigenamque videat
Implentem patrio caelestia templa decore,
Luminibusque novis,
Aeterno de Patre Deum, Divumque potentem:
De Genitrice Hominem:
Quae solio spectanda nitet, velut aurea phoebe,
Puniceisve genis
Exsurgens Matuta, novo quum lumine phoebum
Ex oriente refert:
Caelestum cui dia cohors, reparataque debent
Lucida templa poli.
Felices, quos serta premunt radiantia gemmis,
Purpureisque togis
Exultant, cantu vario: fidibusque canoris,
Perpetuisque choris.
O fortunati! liquido quos nectare pascit,
Ambrosiaque rigat
Ille opifex rerum, caelique aeterna voluptas,
Mentis et alma quies.
Nec satis: ipse suos Regis dignatur honore
Arbiter omnipotens,
Et caeli jubet esse Deos, natosque vocari
Ipse suos Genitor;
Sub pedibusque dedit stellantis moenia mundi,
Aeriasque plagas:
Et circumfusum vitreis complexibus aequor,
Aequoreosque sinus,
Tellurisque situs varios, spatia aspera canis
Celsa cacuminibus:
Nigrantesque domos Ditis, nigrantia monstra,
Quae Phlegetonte rapax

Involvit gurges, fumanti et sulfure torrens,
Queis bonus eripuit
Nos Pater, et clemens caeli in regione beata
Vivere constituit.
Nos tantis pro muneribus, Pater optime Divum,
Diique Deaeque simul,
Innumerabilibus indeficentia seclis
Carmina concinimus:
Tu dignas tu solus enim tibi dicere grates,
Atque referre potes,
O rerum venerande sator, veneranda potestas,
Caelicolumque Parens.

EPIGRAMMATUM.

BASILII ZANCHI.

IN NATALEM CHRISTI.

Nascere; Christe puer, promissum nomen ab alto:
Cara Dei soboles, nascere, sancte puer;
Cui Pater imperium caeli, terraeque marisque
Subdet, et inferni pallida regna Jovis.
Vos illum pennata cohors, gens aeteris alti
Excipite; et sacro concelebrate choro.
Hic vobis vacuasque domos, tristesque ruinas
Sarcit, et immensas prodigus auget opes.
Vos illum humanae diverso a cardine gentes
Excipite, et plantis oscula mille date.
Hic vestri generis vindex, hic sanguinis unus,
Hic vobis caeli regna beata dabit.
Tu vero, venerande puer, pia vota benignus
Suscipe, et e cunis ore micante fave.

IN EUNDEM.

Alma dies, te luce sacra, te luminis auctor
Nascitur, et caeli pondera sentit humus:
Connectitque polum terris, et foedere jungit,
Atque hominem insolita tollit ad astra via.
Atque hominem Deus ipse gerit, moribundaque membra,
Dum redimit proprias, dum legit unus oves.
Te superum reparata cohors plaudentibus alis
Concinit, et laetis plausibus aethra sonat:

Humanumque genus laetanti voce salutat,
Et colit assidua sedula turba prece.
Tu magis atque magis semper mortalibus alma
Nascere, tu nostrae causa salutis eris.

VIRGINI MATRI SACRUM.

Hanc citharam, Regina Deum, tibi Zanchius uni
Dedicat, antiquo nomine Basilius:
Haec cecinit Serri in ripis, qua Bergomen alta
Imminet, Ausoniis carmina ducta modis:
Florentisque hortos Sophiae, mensasque Deorum,
Et lacrimas dixit, Virgo beata, tuas:
Natalemque tui, Genitrix pulcherrima, Nati,
Jordanemque amnem, tergeminumque Deum.
Tu citharam, tu dona libens, tu mente benigna
Suscipe pro tantis carmina muneribus.
Et da, Diva parens, ut te post funera laetis
Personet aeternis candida carminibus.

VIRGINI MATRI SACRUM.

Solemnes tibi, Diva parens, tibi Zanchius aras
Ponit, et incensis mascula tura focis;
Comparibus veneranda premit modo tempora sertis;
Tempora gemmatis fulgida sideribus:
Et modo sancta novis celebrat tua numina sacris,
Solvit et integra debita vota fide:
Qualiacumque tuae contexit carmina laudi,
Et tibi sacratos dedicat ante pedes.
Tu, mundi Regina: volens de vertice caeli
Aspice et invicto nomine, Diva, fave.

IN IMAGINEM DIVI PAULI APOSTOLI.

Unde novus liquor iste fluit, cervice recisa?
Unde novo viridis lacte madescit humus?
Agnosco jam, Paule, tuam për vulnera mortem,
Agnosco immiti colla resecta manu:
Bissenos inter Proceres clarissime factis,
Quo duce victori gloria parta Deo est,

Divinique gregis custos, quem pectore toto
Gignis, et admotis pascitur uberibus.
Quam bene vitalis pro sanguine profluit humor!
Quam bene caelesti lacte madescit humus?

DE DIVORUM FELICITATE

Felices oculi, liquido quos lumine pascit,
Quos Deus illustri maximus ore beat.
Felices linguae, felicia laudibus ora,
Queis semper caeli lucida templa sonant.
Felix, qui patrio terras commutat olympo,
Ardua cui caeli regna tenere datum est:
Pro gemmis aeterna decens cui gloria fulget,
Aeternumque premit parta corona caput.
O fortunati, Tyrio pro murice CHRISTUS
Quos tegit, et roseo sanguine tincta toga:
Queis vita est flagrare piis per secula flammis,
Quos juvat in sancto semper amore mori.

IN DIVINUM AMOREM.

O dulces lacrimae, queis mollia pectora pascit
Mitis amor, cellis dulcior, Hybla, tuis.
O dulces gemitus, o dulcia vulnera cordi,
O mihi vitali morte recepta salus.
Quis credat? praeter solitum mihi dulcis amaror
Et sapit, et dûlci est parta dolore quies.
Non unquam, o caelestis Amor, tua vulnera desint
Non unquam dulcis deserat ossa dolor.

AD CHRISTUM.

Qualis mane novo; qualis redeuntibus astris,
Phoebe, tuum Clytie pallida servat iter;
Talis ego te, CHRISTE, sequor, tua lumina servo,
Qui nunquam occiduo gurgite condis equos:
Qui nescis variare vices, qui lumine puro
Caelicolum atque hominum fervida corda rigas:
Atque utinam, Lux alma, tuo te munere cernam,
Qualis in aeterno lumine clara micas!

DIVO ANDREÆ APOSTOLO.

Hanc aram tibi, Dive parens, ter magnus Iulus
    Excitat, integra debita dona fide.
Per te, sancte parens, per barbara tela per hostes,
    Effugit diras providus ante manus.
Per te terrarum divino Numine Princeps
    Immensi fines temperat imperii.
Qui patrem, cymbamque volens, et retia linquis
    Primus, et ad Domini dicta vocantis ades,
Andrea venerande, sacram per caerula cymbam
    Fac regat, et salva puppe magister eat.
Tunc tibi conspicuam candenti e marmore cymbam
    Ponet, et aurato caerula vela mari.

COMMENTARIORUM

LIBER.

LECTOR HUMANISSIME.

Scriptorum omnium quibus nostra haec collectio constat brevi vitam perstringere volui, ut etiam hac cura de te benemererer, voluntatemque in te meam demonstrarem: sed cum animadverterem multorum vitas alios elegantissime attigisse, nolui factum ut ajunt facere, laboremque perdere; Quare ab illis excerpsi quae mihi opus erant. Quae ergo uno asterisco (*) notata invenies, me ex Morcelli libello, cui electorum *titulus, habuisse scias velim; quae vero duplici (**) ex* delectu carminum ad usum scholarum sancti Pauli *desumpsi. Caetera editoris sunt. In ordinem etiam alphabeticum digessi, ut commodius ex prima cujusque cognominis littera, quem quaeras invenire possis. Tu tamen labores nostros, quicumque sint, aequi bonique facias. Vale.*

ACCOLTUS BENEDICTUS. **

Patria Florentinus, origine Aretinus a Clemente VII cardinalis est creatus V. Kal. maii 1527. De hujus eruditione et politiorum litterarum praestantia sufficiant, quae Lilius Gregorius Gyraldus habet Dial. II de poetis suorum temporum. Quis (inquit) non inter primos Epigrammatum, et Elegorum poetas connumeret Ben. Accoltum Ravennae Cardinalem? Quis eo argutior? Quis cultior? politior? Extant et leguntur ejus carmina mira concinnitate composita: mitto nunc solutam orationem, qua pene omnem Ciceronis est assecutus mundiciem, quod manifestant ejus epistolae, et libelli. Decessit domi anno 1549.

ALEANDER HIERONIMUS.

Hieronymus Aleander Foro Julii ortum habuit anno 1574. Patavii studiis omnibus quae ad humanitatem pertinent exornatus, familiaritate, et benevolentia Joannis Vincentii Pinelli literarum omnium patroni usus est. Romam ductus tantam fidem Octavio Bandinio et Francisco Barberinio cardinalibus adhibuit, tantaque doctrina praestitit, ut reges et principes quibus fama notus erat, facie noscere, et alloqui vellent. Quare ab Urbano VII P. M. in collegium patrum purpuratorum cooptatus bonam litteris Romanaeque reipublicae operam dedit. Vixit anno LV, obivit 7 Idus martii 1629. Multa tam prosa oratione quam carmine scripta reliquit, quae magni a doctis sunt habita.

AVERANIUS BENEDICTUS.

Benedictus Averanius patria Florentinus ad vitam ingressus est anno 1645. Facili praeditus ingenio Graecos latinos-

que scriptores praecipue adamavit et imitatus est. Grecam latinamque linguam quas apprime calluit Pisis multa cum laude docuit. Orationes ab illo habitae in Pisano Lycaeo in solemni studiorum instauratione Tullianam sapiunt elegantiam. Versus quoque condidit, quibus magnum sibi nomen peperit. Decessit anno 1707.

BASSANUS JAC. ANTONIUS. *

Bassanus Jac. Antonius S. I. Hujus vitam scripsit Robertus, a quo orator doctus, poeta elegans deque politiori humanitate optime meritus jure appellatur. Fuit autem ortu Venetus, civitate Vicetinus. Societati Jesu nomen dedit Bononiae, vixitque in ea Deo et literis ad annum aetatis suae 61 : diem vero suum obiit apud Forocornelienses anno 1747 XII Kal. junias. Poemata ejus latina et vernacula Patavii vulgata an. 1759.

BEMBUS PETRUS. **

Petrus Bembus natus summo loco Venetiis anno 1470, a Paullo III cardinalis creatus est. Mirum quantum et latini, et etrusci sermonis nitore, atque venustate excelluerit. Verum ut pro instituto de latina poesi loquamur, acris adeo, et purgati in ea fuit judicii, ut non minus in se egregia veterum imitatione praestiterit, quam aliis fuerit adjumento, qui eum expetebant operum suorum censorem. Quot autem lepores, et veneres, et gratiae affulgeant in ejus Epigrammatis, vel ea pauca legenti, quae nos adduximus, plane constabit. Decessit annum agens 77.

BERNIUS FRANCISCUS.

Franciscus Bernius decedente saeculo XV natus, italicam poesim novo et sane faceto stylo exornavit. Is enim sane miscuit ridiculum acri, tantaque festivitate lepore et elegantia ut tantum caeteri in

illo scribendi genere cui nomen fecit profecisse videantur, quantum huic imitatione accesserunt. Multa italice cecinit nonnulla etiam latine. Veneres Catullianas, suavitatemque Tibulli ita imitatus est ut pauci admodum cum eo comparari possint. Veneno sublatus est, uti fertur, anno 1536.

BEVERINIUS BARTHOLOMEUS.

Bartholomeus Beverinius vir praeclarissimus historicus et poeta insignis fuit. Patriam sortitus Lucam illius annales descripsit stylo, hercle, Liviano, ita ut nullus aetatis nostrae historiarum scriptor, aut certe pauci, cum illo contendere possit. Virgilium italicis strophis interpretatus est tanta elegantia, tantoque decore ut omnes pene uno ore id consentiant Beverinium optimi poetae interpretisque fidelissimi munus complevisse. Carmina latina quoque panxit mira, ita vivam, dulcedine et venustate, parique elegantia; quare nemo non novit illa auream antiquitatem plane referre. Vir religione summa moribus probatissimis literisque omnibus praeditus obiit anno 1686, natus anno 1629.

BOSCOVICHIUS BARTHOLOMEUS. *

Bartholomeus Boschovichius civis Ragusinus, ab adolescentia inter sodales Jesu Romae altus, Geometra aetatis suae primus, et ob Mathesin universam scriptis illustratam, inventis auctam ubique clarissimus: quem collegia maxima Sophorum Londinensium, Berolinensium, Parisiensium Petropolitanorum sodalem cooptarunt: Rex Ludovicus Regis Ludovici Adamati nepos munifice in Galliam invitatum Optice ad rem maritimam perficiendae praefecit; plerumque Europa advenam mirata, summo doctorum virorum consensu fama majorem agnovit.

Decessit hic Mediolani apud Borromeos idibus febr. an. 1787 veteris instituti, quod in societate Jesu coeperat, in ipsa communi calamitate ad mortem usque memor: qui quum carus principibus, utilis reipublicae per diu fuisset, nunquam officium aut pietatem deseruit. Carmina perpolita conscripsit quae jure antiquiis comparari possunt.

CASA JOANNES.

Joannes Casa Florentiae nobili genere natus, liberaliterque educatus, ingenuis, artibus a prima aetate animum adjecit; eisque ita semper deditus fuit, ut nemo magis. A Paullo III P. M. Archiepischopus Beneventanus anno MDXLIV renunciatus, tum nuncius Pontificius Venetias missus, consilio et prudentia adeo praestitit, ut gravissima quae gessit pro S. Sede munera summam omnium expectationem in hoc uno fefellerint, quod ejus maximis promeritis ac laboribus amplior dignitas, et honoris gradus defuerit. Sed ad nostrum quod pertinet institutum amplissimam ingenii et politioris eruditionis famam est asecutus. Graecas litteras impense coluit. Latinae linguae, et principum in ea scriptorum vim elegantiam, nitorem toto hausit pectore, uti quae reliquit, tum versu, tum soluta oratione conscripta monumenta declarant, ita vero Tullianam copiam, et Atticam venustatem vernacula sua elegantissima lingua expressit, ut unum omnium Italorum ad ejusdem Tullii eloquentiae laudem propius ac felicius accesserit.

CASTILIONIUS BALTHASSAR. *)

Balthassar Castilionius patricius Mantuanus, vir optimis artibus excultus, graecis, latinis, etruscis litteris eruditus. Pro Francisco Maria Urbini duce Britannicam legationem summa cum laude ad Henricum VIII obivit a quo etiam equestri ordini fuit adscriptus, qui Pariscelidis dicitur, apud nos *della Gartiera.* Idem Friderici Gonzagae apud Leonem X et Clementis VII apud Carolum V oratoris egregii, ac fidelissimi munere perfunctus est. Inter haec vero, atque etiam militaria munera gravissima, quibus assidue distentus fuit, dici vix potest, quantum ingenio floruerit; quantum famae adeptus sit quatuor ab se perscriptis libris de instituenda regum familia, quibus ipse titulum fecit *Il Cortigiano*; quantam denique sui admirationem concitarit poetica facultate. Hac adeo praestitit, ut praestantiae suae, non testem modo, verum etiam praedicatorem vel ipsum Julium Caesarem Scaligerum (quem virum! quam acrem, quam acerbum poe-

tarum omnium censorem !) habere promeritus sit. Natus est anno 1468, supremum vero diem obivit anno 1529.

CHICOLIUS STÁNISLAUS.

Stanislaus Chicolius natus est Ferrariae anno a partu Virginis 1793. Quamquam legibus praecipuam operam dedisset tamen et musis multa cum laude indulsit. Anno 1772 volumen carminum perpolitum sane atque elegans dedit, quae odorem Catulianum apprime redolent. Quare ab eruditis probatus, magnam ex hoc sibi famam peperit. Cum viridi uteretur senecta e vivis ereptus est magno civitatis suae atque eruditorum hominum moerore XI kal. aprilis an. 1793. Mores humani ingenii comitatem aequavere. Facilis comes festivus: religionis cultor, et amicorum: vir denique probus fuit.

CONTOLUS FRANCISCUS.

Franciscus Contolus domo Castrobononiensi in Aemilia humanioribus disciplinis diligentisime vacavit. Dein alumnis Seminarii Faventini tanta laude literas tradidit ut nihil supra. Auditores habuit primos aetatis nostrae scriptores, ita ut illum altorem latini sermonis et tutorem omnes revereantur ac colant. Vixit annos 73 obiit 1800.

COSTA JOANNES.

Joannes Costa Asiagi in agro Vicetino nonis maii anno 1737 ortum habuit. Adolescens in Seminarium Patavinum receptus cum humaniores literas philosophiamque auditor brevi perdidicisset, celerrime a discendo ad docendum sibi viam fecit. Itaque eloquentiam literasque graecas professus est usque ad annum 1791. Poesim latinam in deliciis habuit apprime, sibique nomen in posteris duraturum fecit interpretatione Pindari.

Multa alia quoque in lucem edidit sive latino, sive greco, sive vernaculo sermone conscripta. Sebastianus Melan auditor et successor Costae, amplissima, ita vivam, laudatione illum honestavit. Decessit anno 1816.

CUNICHIUS RAIMUNDUS. *

Raimundus Cunichius S. I. Ragusinus, vir antiquae simplicitatis et morum suavissimorum. Hic graeca semper cum latinis conjunxit, ac poesim adamavit unice. Iliadem huic debemus versibus valde bonis latine redditam, item Theocritum, ac pleraque ex Antologia. Epigrammata etiam reliquit permulta, quae post excessum ejus Parmae edita sunt. Rhetor in Urbe fuit annos amplius quadraginta, cujus e ludo clari disciplinae ejus alumni prodiere. Mortuus est Romae X kal. decem. an. 1794.

DANDINIUS HERCULES FRANCISCUS.

Hercules Franciscus Dandinius Cesenas jureconsultus nobilis, forte Anconae natus est anno 1695. Teneris ab unguiculis studia litterarum secutus, Romae ingenii sui vim facile ostendit Anselmo Dandidio Patruo, quo praecipue praeceptore utebatur. Ille preclaram pueri indolem admiratus omni conatu excoluit. Postea audivit Vincentium Gravinam virum juris filosophiaeque consultissimum, quo doctore facile nosci potest quantum profecerit. Cum aetatis annum 35 ageret domum reversus, uxorem duxit de qua XI liberos suscepit: quod illum minime a studiis abduxit in quibus sine interpellatione versabatur. Domi suae accademiam filomutorum posuit, legesque tulit duodecim tabularum stilo et sapore. Tanti nominis fama cum ubique innotesceret Patavium accitus Jurisprudentiam publice in Patavino Gymnasio docuit. Studio laboreque confectus suum diem obiit anno 1747.

FABRETTI STEPHANUS.

Stephanus Fabretti Urbinas ineunte seculo decimo octavo floruit. Societatem Jesu ingressus, sese totum latiue poesi tradidit, sibique Horatium Flaccum praecipue imitandum proposuit. Qua imitatione multum laudis adeptus est: cumque anno 1747 Lugduni carmina Horatiano stylo concinnata edidisset, doctorum hominum laudes assecutus, haud ignobile nomen apud posteros sibi fecit.

FAGNOLIUS ALEXANDER.

Alexander Fagnolius Faventiam patriam suam non parva laude auctus est. Cum enim poeticae bonam operam navasset inter politiores aetatis suae poetas jure meritoque numeratur. Stylo Catulliano ita studuit, ut affirmare possim neminem sane Catullianas veneres magis assecutum. Musis Italicis quoque ita praestitit ut pauci cum illo aut rerum dignitate, aut verborum delectu, aut or-

natus copia sint conferendi. Clariorum sui temporis virorum familiaritate floruit, inter quos recensemus Vulpios, Dandinium, Zanottios, aliosque sexcentos. Ab epistolis Antonii Cantonii Pontificis Faventini munus suum abstinentissime functus est. Moriens reliquit carmina multa tum latino tum vernaculo sermone conscripta, quae haeredum incuria adhuc desiderantur.

FASCIUS FRANCISCUS ANTONIUS.

Franciscus Antonius Fascius Genuae natus anno 1732 *Scolas Pias* Romae ingressus multa cum laude studiorum curriculum confecit. Humanitatem adamavit, litterasque Genuae, Savonae, Mediolani, Romae tanto juvenum profectu docuit, ut in exemplar doctorum optimorum sit datus. Elegantia summa versus conscripsit italico latinoque sermone, nonnullosque Romae edidit quos Laurentio Ruspoli equiti discipuloque dicavit. Multa etiam alia reliquit quae ante omnium oculos typis versantur, venustate veneribusque omnibus concinnata. Pie sancteque obiit Romae anno 1798.

FERRI HIERONYMUS.

Hieronymus Ferri Lonzani in Aemilia natus anno 1713 mitioribus literarum studiis adeo praestitit ut pauci cum illo sint comparandi. Rhetoricam poeticamque Arimini prima aetate docuit, postea Faventiae ut ille ait, *annum supravigesimum apud vos docui, ut si Lonzanensis desinere esse possim, non alius censeri velim quam Faventinus.* Tandem in Archigymnasio Ferrariensi quatuordecim annos in magna doctorum hominum luce eloquentiam professus ingènii doctrinaeque suae monumenta exegit. Latinae linguae adsertor et vindex in Alambertium Gallum latinitatis studia inquissime detrectantem litteras pro lingua latina conscripsit, et edidit. Vitam Hadriani S. R. E. cardinalis summa cum diligentia, elegantiaque condidit. Exacta jam aetate, editis operibus tota Italia Galliaque clarissimus, comitate morum integritate sanctimoniaque vitae omnibus in exemplum, supremum diem sanctissime explevit anno 1786 aetatis suae 72.

FLAMINIUS M. ANTONIUS. *

M. Antonius Flaminius Forocorneliensis, vir multarum litterarum, sed latina in primis poesi illustris, idemque principum virorum amicitiis clarissimus. Mores autem ejus ac pietatem multi celebraverunt. Vitam autem non ultra annum quinquagesimum secundum perduxit. Elatus est Romae XII Kal. martias an. MDL. Vide carminum ejus editionem Cominianam et Tiraboschium Hist. Litt. t. VII, par. III p. 258.

FONTANA M. PUBLIUS. *

M. Publius Fontana Paloscensis, natus anno 1548. Carmina ejus venusta omnino concinna congessit, vulgavitque Serassius Bergami an. 1752, iisque auctoris vitam praeposuit a Furietto perscriptam: qui Publium a patre Clarium deductum esse tradit, ut graecas litteras in Lyceo nostro edisceret sub Petro Rossio: eundem deinde Brixiae gravioribus

disciplinis operam dedisse. Fuit autem medicinae etiam studiosus, herbarumque cognitione mirifice delectatus est: sed poesim prae ceteris coluit, summorum poetarum laudem aemulatus. Quumque in patria Ecclesiae Laurentinae Rector factus esset, sic clarorum virorum amicitias officiis prosequutus est, ut populi sui institutionem nunquam negligeret. E vivis excessit an. 1609.

FRACASTORIUS HIERONYMUS. **

Hieronymus Fracastorius ex nobili familia Veronae natus est anno 1483. Laudatur a Lilio Gregorio Gyraldo, quod, quum antiquos consectatur poetas, tum praecipue Pontanum aemulatur. At pace dixerim tanti viri, eo longius Fracastorium Pontano excelluisse, quo propius accessit ad heroicam Virgilii majestatem. Quare nihil verius Sannazarius ille, poeta quidem egregius, sed non ad modum liberalis aliorum poetarum laudator dixit, quam quum Hippolyto Medici Cardinali confessus est, unum esse Fracastorium, a quo non modo Jovianus Pontanus (cui

tamen erat addictissimus) sed ipsemet in poemate de *Partu Virginis*, opere viginti et amplius annorum lima, et labore perpolito, esset victus. Decessit anno 1553. Ei ex S. C. statua in foro cum reliquis illustribus Veronensibus erecta est, ejus imagine ad vivum expressa cum hoc, quod ego edidi, elogio:

HIER. · FRACASTORIO
PAULI · PHILIPPI · F
EX · PUBLICA · AUCTORITATE
ANNO · CIƆDLIX

FUGA VINCENTIUS.

Vincentius Fuga Romanus. Is adolescens nomen Soc. Jes. dedit multosque per annos Florentiae eloquentiam tradidit: tantaque usus est felicitate ut decessorum suorum laudes (hi summi, ita vivam, viri fuere, Hieronymus Lagomarsinius et Josephus Partenius Mazzolarius) exequaret ac pene superaret. Dissoluta Societate otiose vitam in studiis agere constituit, quare conditiones honestissimas a Leopoldo Hetruriae Duce positas recu-

savit, Florentiaque discessit. Poesim apprime coluit, multaque edidit carmina venusta sane atque perpolita. Cumque aetatem omnem litteris officiisque pietatis insumpsisset, diuturnum morbum magna animi vi constantiaque perpessus ad caelestium sedes emigravit anno 1815., aetatis suae 78.

GIANETTASIUS NICOLAUS.

Nicolaus Gianettasius sodalis Ignatianus Neapoli natus est anno a partu Virginis 1648. Ingenio praeditus perfacili multa tum stricta, tum soluta oratione latine, summa quidem elegantia confecit, quibus valde innotuit; Neapolitani regni historiam elegantissimo stylo exaratam edidit; poemata etiam varia, inter quae *Nautica* et *Piscatoria* exquisito judicio ac venustate eximia cecinit. His omnibus sui memoriam in posteris valde longam effecit. Desideratus est anno 1715.

GIOVENAZZIUS VITUS MARIA. *

Giovenazzius Vitus Maria Neapolit. paucis ante annis Romae defunctus, hunc aevo nostro Grammaticorum principem ex veterum sensu non immerito dixeris: in quo acerrimum ingenium, sincerum ac subtile judicium, praeclara eruditio, atque doctrina inventa sunt. Multa scripsit, quorum nonnulla alieno nomine prodierunt. Commentarii de Aveja in Vestinis; opus egregium, et fragmentum Livianum ejus nomine Romae edita: carmina vero Neapoli an. 1786 quae Latinae venustatis plurimum habent.

GRATIANUS EGNATIUS GUILLELMUS.

Egnatius Guillelmus Gratianus Tiberiacensis bonus orator et poeta fuit. Politiores literas alumnos Ecclesiae Faventinae multis annis docuit probantibus omnibus. Sed cum valetudine laboraret domum reductus in collegium canonicorum a Benedicto XIV. P. M. honoris ergo

cooptatus est. Carmine latino, vernaculoque nonnulla conscripsit quae uno volumine Faventiae edidit. Hominum aetatis suae praeclarissimorum familiaritate usus, vita functus est anno 1756: aetatis vero suae 54.

LACHIUS ANTONIUS.

Antonius Lachius Faventinus. Is magis litterarum quam generis gloria clarus, bonum sibi nomen peperit studio propriaque virtute. Cum enim teneris ita dicam unguinculis ingenium ad litteras proclive haberet, magna alacritate animum appulit, tantamque famam consecutus est, ut adolescens adhuc in numero sapientum recenseretur. Poetas latinos a quibus stylum mutuatus est Virgilium et Tibullum imitandos sibi proposuit. Multa latino carmine conscripsit. Davidis psalmos latinis reddidit numeris iisque variis, quod opus summo hominum plausu susceptum iterum atque iterum brevi excusum est. Alia quoque multa atque elegantissima tulit, quae hic nominare praescripta brevitate prohibeor.

Lachius natus est seculo superiore postridie Kal. junias anno supra vigesimum octavo; mors illi intervenit anno vertentis seculi undecimo ad septimum idus januarias.

LANZIUS ALOYSIUS. *

Aloysius Lanzius S. J. Olmodenensis ortu, idemque honoris caussa in splendidissimum Iguvinorum ordinem cooptatus aetatem nostram ornavit, remque litterariam vehementer auxit. Florentiae jamdiu incola, monumentorum veterum festiva copia usus, quantum item alibi est artium bonarum peregrinando novit atque perdidicit. Museum regium summatim exposuit libello disertissimo. Eidem debemus quidquid de Etruria veteri deque Italiae antiquissimae vestigiis jam scire datum: quae ille omnia tribus voluminibus, doctis oppido et laboriosis comprehendit. Libros etiam de Pictorum scholis ab eo habemus iterata jam editione probatos. Inscriptiones item et carmina, quae nuper in lucem emisit, culta omnia, et naturali, non fucato nitore

pulcra. Ultimum opus ejus Hesiodus illustratus. Decessit Florentiae pridie Kal. apr. an. MDCCCX.

MACCABELLIUS FRANCISCUS.

Haud ignobile in Aemilia oppidum est inter Ravennam et Faventiam quod Russium appellant. Ibi anno 1729 ortus est Franciscus Maccabellius vir sane clarus qui mitioribus studiis famam sibi comparavit: atque adeo praestitit ut pauci cum illo aetate ea contendere possint. Faventiae humaniores literas in sacro Seminario multa cum omnium admiratione docuit. Latinae linguae propugnator et vindex optimus. Cum enim per illa tempora Itali fere omnes latino sane eloquio, fato nescio quo, valde abhorrerent, scriptis et exemplo ad meliorem frugem revocavit. Ingravescente aetate domum reductus cum jam annum 79 ageret in subsidium egenorum haeredem ex testamento sororem suam reliquit, quae decedens domum hospitalem pauperibus curandis alendisque extruxit magno civium suorum beneficio. Desiderium bonorum virtute promeritus ad superos avolavit anno 1808.

MARTINELLIUS THOMAS ANGELICUS.

Thomas Angelicus Martinellius patriam sortitus Ferrariam a teneris politiores litteras impense adamavit. Adolescens adhuc inter Dominicanos sodales cooptatus sacram poesim musicamque quammaxime excoluit. Carmina multa in Divi Benedicti, Dominicique laudes, Caesaris Philodii nomine, edidit, multaque edenda reliquit. Sunt qui perspicuitatis nitorisque in scribendo aliquid desiderent, omnes tamen facilitatem magnopere laudant. Moribus dulcissimis sanctitate eximia, et charitate in omnes summa fuit. Anno a partu Virginis 1770 natus, immaturo exitu mortalibus aerumnis ereptus coelo receptus est IV. Non. aprilis 1832.

MAZZOLARI JOSEPHUS MARIA.

Josephus Maria Mazzolari Pisaurensis nobili genere ortum habuit anno 1712. Humaniores litteras apprime coluit. Parthenii Mariani nomine multa soluta liga-

taque oratione edidit. Poema latinum concinnavit cui titulus Eletricorum libri VI quod Lagomarsinius adnotavit, Stayus vero apprime probavit. Nonnulla etiam carmina exaravit, quae venustate et elegantia, quam maxime nitent, ut cuilibet judicare fas erit. Commentariorum vero conscripsit libros tres. Decessit Romae anno 1786.

MIGLIORE CAJETANUS.

Cajetanus Migliore Neapolitanus Nicolai Ignarrae viri praeclarissimi auditor, honestissimo loco natus est anno 1740. Hic cum se Ferrariam contulisset in illa Universitate eloquentiae doctor designatus publice litteras, non sine magno hominum plausu docuit. Rem antiquariam tamen apprime coluit, et Antonius Testa doctor Ferrariensis in lucem prodidit anno 1789 inscriptiones latine a Migliore stylo optimo exaratas. Certe nisi mors immatura hominem doctissimum interemisset, bina opera nunc haberemus, fato malo acutoris exitu intercepta, de quibus nil nisi titulum nobis reliquum: si

quidem alterum *Marmora Ferrariensia*, alterum de *Italiae antiquis Judeis.* Vir religiosus, literis multis exornatus de Ferrariensibus, Italisque omnibus quam qui meritissimus, florente adhuc aetate obiit.

MOLSA FRANCISCUS MARIUS. **

Franciscus Marius Molsa Mutinensis, poeta nobilissimus natus anno 1489 qui licet gravissimis negotiis occupatus primum a cardinali Hippolyto Medici, tum ab Alexandro Farnesio, tamen etiam musis tantum cultus, studiique potuit tribuere, quantum ad nominis immortalitatem ex iis consequendam fuit satis. De poesi etrusca, qua plurimum excelluit, non est hujus loci plura adferre. Latinam ita coluit, ut nemo antiquorum suavitate, candore, ac simplici quadam venustate praestantium vestigiis haesisse firmius videatur. Tibulli certe in Elegia gratias omnes, naturaeque imagines quasdam vivis coloribus, ac penitus suis expressas ita est persecutus, ut saepe etiam sententias in rem suam praeclare conver-

terit, dignus profecto, quem in antiquorun imitatione sibi quisque proponat. Decessit anno 1544.

MONTIUS VINCENTIUS.

Vincentius Montius princeps poetarum nostri temporis bono jure habitus Fusiniani in Aemilia natus est anno 1754. Prima aetate latinam poesim summa laude coluit, et cum posset multos superioris seculi scriptores hoc scribendi genere antecellere noluit, seque totum musis Italicis tradidit. Nihilominus elegiam unam de Christo nato editam reliquit, ex qua nosci potest quantum in ea re valeret. Nihil dicam de operibus illius, sunt enim in conspectu omnium, et omni comendatione majores. Obiit anno 1827.

MORCELLUS STEPH. ANTONIUS. *

Steph. Antonius Morcellus S. J. patria Clarensis ejusdemque Ecclesiae praepositus. Cum Clarensi Lyceo censoria ele-

ctorum olim potestate praefuerit libelli quoque hujus emittendi auctorem se professus est, quo epheborum ejus eruditi consuleretur. Ab ipso sunt jam ab anno 1781. Libri tres de stylo inscriptionum latinorum excusi Romae, quos aetas nostra probavit. Extat etiam volumen ejusdem hoc titulo, inscriptiones commentariis subjectis: item sermonum libri II. quartum opus est Kalendarium Constantinopolitanum, quintum S. Gregorius Agrogentinus Graece et latine: sextum Africa cristiana. De hoc homine nulla oppido vetustas conticescet.

MOREI MICHAEL JOSEPH.

Michaelem Josephum Moreium Florentia civem habuit anno 1695. Hic quamvis multis gravibusque districtus negotiis tamen humanioribus studiis etiam atque etiam vacavit, brevique ingenii sui periculum insigni cum laude fecit. Quare Lorenzinio mortuo custos Arcadiae subrogatus, multa tum italice tum latine scripta prodiit quae magni sunt habita. Musas latinas magno est prosecutus amo-

re, versusque perelegantes cecinit. Ingravescente aetate morbo correptus Romae fato concessit anno 1767.

MURETUS MARCUS ANTONIUS.

Marcus Antonius Muretus civis Romanus. Hunc inter scriptores aurei Leonis saeculi jure merito adnumeramus. Natus in Gallia anno 1526 adversa in primis usus fortuna Italiam petiit, Romamque se contulit. Ibi multa Pontificis Patrumque purpuratorum benignitate comitateque exceptus publice eloquentiam tradidit, id enim magisterii domi multa cum laude gesserat, multisque auctus est honoribus muneribusque. Quare cum tanta Deus otia faceret plura scripsit nitore elegantiaque summa. Orationes et epistolas in lucem edidit ad veterum lucernam elaboratas; et sapore tulliano poemata quoque hymnosque de rebus divinis typis mandavit quae hominis laudem posteris sane comendant. Et quamquam Gallica esset origine nil gallicum quidem stylus Mureti sapit, quare inter scriptores nostros habendus est, nostraque civitate omnino donandus. Obiit Romae an. 1585.

MUTIUS ARELIUS JOANNES.

Arelius Joannes Mutius fuit Mantuanus. De hoc referenda sunt testimonia praeclara quidem, quae Bembus et Valerianus de tanto homine reliquerunt. Bembus enim in epist. 7 ad familiares lib. 5. sic ait cum Octaviano Fregoso scriberet » Magnae spei adolescens, ut scis, aut etiam majoris quam quod scire possis. Magis enim magisque se se in dies comparat, cum ad mores optimos, et omnem virtutem, tum ad poetices studia ad quae natus praecipue videretur » Valerianus vero haec addit » Magno et eloquenti juvenis ingenio lingua prius nostri temporis italica se se exercuit, mox latinam affectans jam adultus, brevi admodum temporis curriculo magnum poetam professus est. Quam juvenis promptitudinem admiratus Leo X, ne tali deesset ingenio, arci eum Mondulphiae praefecit, quem locus Arelius studiis suis necessaria ubertim suppeditaturum arbitrabatur. At ubi otium mortem sane

tristissimam mature obiit, cum adhuc aetate floreret. Areosti imortale elogium meruit.

Uno elegante Castiglione un culto
Mutio Arelio.

Orl. Fur. C. 42. st. 87.

NAVAGERIUS ANDREAS. *

Andreas Navagerius Venetus. Hunc oratoribus claris et criticis diligentissimis comparare licet: sed inter poetas aetatis suae facile princeps habere possit; qui pauca quidem scripsit, sed pure omnino et latine, neque hoc solum, sed ut grecorum numeros et venustatem aemularetur. Annum quadragesimum septimum vix attigerat, quum eum legatione gallica fungentem mors oppressit VIII idus martias an. 1528. Vide operum ejus editionem Cominianam.

NOCETIUS KAROLUS.

Karolus Nocetius Apuanus vitam ingressus est anno 1695. Studiorum curri-

culo rite magnaque cum laude confecto Societati Jesu libens volensque nomen dedit. Phyisicae presertim ac poeticae animum applicuit, sibique famam praeclarissimam vindicavit. Philosophicam, remque Theologicam Romae tradidit; multisque aliis in exemplum functus est muneribus. Romani Archigymnasi praefectus cum Sodalitatem apud Lusitanos gravissime labefactatam, ac deletam cognosceret tantum maeroris cepit ut brevi valetudinem, qua quidem firma utebatur vitamque amitteret annum agens 65. Vir sane probus, pius, omnibus acceptissimus. Bina poemata de Iride et Aurora Boreali virgiliano stylo condita edidit anno 1747 quibus Josephus Rogerius Boscovikius vir scientissimus summaque laude florentissimus interpretationes explanationesque adjecit. Nonnullos quoque latinos versus inter Arcadum carmina, patrumque societatis Jesu sceleta invenies. Desideratus est anno 1759.

PARASIUS AULUS JANUS.

Joannes Paulus Parisius Auli Jani Parasii nomine clarus Cosentiam patriam sortitus est anno 1470. Ad litteras summopere proclive ingenium natura habuit, quare legum studio ad quod a patre deductus fuerat posthabito, totum se litteris mitioribus dedit. Haud facili tamen fortuna usus multis Italiae regionibus jactatus miseram exegit vitam, ita ut Pierius Valerianus inter infelices litterarum cultores illum numerare non dubitasset. Post varios casus Mediolanum se recepit ubi eloquentiam publice professus est; ibique illi Ioannem Jacobum Trivultium auditorem et Andream Alciatum discipulum habere contigit. Romam reversus, Romanum literarum ludum exercuit, stipemque accepit singulis annis ducentorum aureorum nummum. Sed non ita diu res se habuere cum enim graviter pedibus laboraret patriam petere coactus, ibi laborum vitaeque finem implevit an. 1534. Multa typis mandavit quae et eruditorum hominum probatione digna fuere, et auctori suo nomen in posteris fecerunt.

PETRUCCIUS JOSEPHUS.

Josephus Petruccius nobili genere Interamnae natus annum XVI aetatis suae agens sodalitatem Jesu petiit, ibique ingenii sui facilitatem facile ostendit. Oropites primum deinde Prati humanitatem probantibus omnibus publice tradidit, ibique dissociati sodalitii certior factus domum se recepit. Anno XXVIII Romam accitus humanitatem in Archigymnasio urbano professus est, cumque Cunichius supremum diem obiisset in ejus locum suffectus est. Restituta Societate senex veterem vitae rationem amplexatus piissimo interitu decessit anno 1826 XII. kal. maii. Multa tulit tum stricta oratione, tum soluta quae a doctis apprime probantur. Vixit supra annum octuagesimum.

PINDEMONTIUS IPPOLYTUS.

Ippolytus Pindemontius Veronae natus est anno reparatae salutis 1753, ubi supremum diem obiit XIV kal. decembris.

an. 1828. Hic annum agens vix XVIII in mutinensi Ephebeo ad litteras animum applicuit, idque illis temporibus magni faciendum est, cum in omni Italia litterae oblanguissent. Multam operam impensissime studiis dedit, cum enim dulcedinem poesis degustasset nocturna manu diurnaque poetas nostrates graecos latinos versavit. Usus est valde judicio familiaritateque Torrellii et Pompeii cives sui, quorum fama satis vulgata est, quibusque donec vixit gratias verbis scriptisque summas retulit. Homeri Odisseam in patrium sermonem poetice transtulit multa felicitate, Buccolicorum, Epistolarum, Sermonum non nihil conscripsit. Vir elegans, probus, pius non tantum scriptis quantum consuetudine vitae doctrinae religionisque exemplum posteris reliquit.

PINTIUS JOSEPHUS ANTONIUS.

Iosephus Antonius Pintius Ravennas ortum duxit honesto loco anno 1713. Literas humaniores etiam atque etiam professus est. Archeologiae studiis bonam

operam apprime navavit. Scripsit de *Nummis Ravennatibus* opus sane laboriosum et doctum. Misit ad Hieronymum Ferrium epistolas tulliano stylo exaratas. Poesim vero in deliciis habuit, multaque cum laude excoluit. Obiit anno 1769.

PONTANUS JOANNES JOVIANUS. **

Joannes Jovianus Pontanus Cereti in Umbria natus est anno 1426 ut plerique sentiunt. Mortuo patre Neapolim concessit. Hic tanta sui nominis gloria implevit aures eruditorum hominum, ut nihil dici amplius possit, quam de eo jam insederit in omnium opinione; nec quidquam ejus operum ad censuram vocari posse videatur sine multorum reprehensione. Verum quum tam pauca ex hoc poeta deliberaverimus, petimus, ut liceat, cur id fecerimus, causam aperire. Ex iis itaque, quae maxime admiramur, ut *Urania*, *et Horti Hesperidum* sunt, nihil ad rem nostram deligere potuimus: ita enim nexae partes sunt, ut distractae plurimum elegantiae amittant. Cetera videntur hujusmodi, ut vel pudor ea ve-

tet referre, vel quidquam licentius inductum, et maxime in diminutivis nominibus ab usu latinorum abhorrentibus, quibus ad emolliendos praesertim Hendecasyllabos utitur saepissime. Sed ne iniquiores videamur Pontani judices; cetera ei facile omnia tribuemus, ingenium felicissimum praesidium optimarum artium, facilitatem ad genus omne imitationi pene incredibilem, se se uni dumtaxat Horatii praecepto non satis accommodasse dicemus, quod tradit Sat. X, lib. I. Saepe stylum vertas, iterum quae digna legi sint.

Scripturus.

Mortuus est hanno 1504.

ROBERTIUS JOAN. BAPTISTA. *

Joan. Baptista Robertius S. J. domo Bassano. Hic Bononiae potissimum magna cum laude virtutis atque doctrinae versatus omnium sibi amorem conciliavit. Fuit autem elegantis ingenii vir et urbani leporis atque singularis humanitatis. Opera ejus, quae voluminibus octo continentur, et vernacula pleraque lingua scripta sunt, Bononiae edi caepta ab an. 5762 Ipse decessit an. 1786.

ROSSI PETRUS.

Petrus Rossi Senensis sacerdos spectantissimus litteris latinis graecis haebraicis apprime fuit eruditus. Cum nobilis haebraicae poeseos indoles mirifice illum raperet ac delectaret Davidis carmina ad poesim transferre latinam aggressus est. Viginti annos operi manum sedulam admovit, nec labori vigilisque pepercit ut hominum probatione conficeret, confectum in lucem daret. Itaque anno 1759 Arretii typis Michaelis Bellotii vulgatum est. « Locum mihi relinqui sum arbitratus (ait ille in praefatione quum plures psalmorum interpretes adumerasset) ut in divinis hisce poematis illustrandis aliquid auderem, et quam possem, latinae poeseos speciem elegantiamque eis conciliare conarer. Adolescentibus potissimum latine scribendi studiosis laboriosam hanc operam commodavi, quo haberent sanctissima ac saluberrima carmina quibus animum oblectarent ac pascerent, et ad virtutem non minus quam ad pietatem proficerent. » Decedente superiore saeculo domi pie sancteque decessit.

DE ROSSI IGNATIUS

Ignatius De Rossi nobili genere Viterbii natus anno reparatae salutis 1740: decimum tertium aetatis suae annum agens Societatem Jesu ingressus est. Cumque in puero magna ingenii docilitas diligentiaque esset, nobilis inter aequales ferebatur. Vix cum e pueris excessisset Florentiae Macerataeque literas docuit, postea vero Spoleti philosophiam multa doctorum hominum probatione. Dissoluta Societate Romam se recepit, ibique gravioribus philosophiae studiis animum applicuit. Hebraicae linguae doctor in Gregoriano Gymnasio renunciatus susceptum munus maxima, supra quam dici potest, laude functus est. Literas omnes impense coluit, historiam, geographiam, archeologiam, poesim, qua quidem valde praestabat, cum Grecos Latinosque scriptores diu manu versasset. Dicam sane ejus versatile ingenium sic ad omnia pariter fuisse, ut natum ad in unum diceres quodcumque ageret. Excessit anno 1824.

ROTIUS CAROLUS.

Carolum Rotium quem Societas Jesu Romae alumnum habuit inter superioris saeculi elegantiores poetas latinos bono jure numeramus. Is omnibus ingenii animique facultatibus extructus Tibullum sibi praecipue in exemplum voluit. Singulari etiam praestitit eloquentia, quod ex orationibus typis Comini Patavii editis licet admirari: Natus Florentiae anno 1698 XVI Kal. jun. Societatem Jesu ingressus est anno aetatis suae XVIII; professus est vero annum agens XXXV. Anno 1742 XII Kal. jan. pie sancteque decessit.

SANAZZARIUS JACOBUS. *

Jacobus Sanazzarius, qui et Actius Sincerus Neapolitanus. Hujus clarum adhuc ubique nomen inter poetas: qui graece latineque doctus antiquum reddidit leporem et italicam poesim ausu novo exornavit. Culpandus tamen in eo est

prae ceteris, quod vir gravis quae augustae religionis sunt, saepe pertractans, fabulas veterum cum sacris nostris miscuerit, easque perinde habuerit. Porro in Gallis aliquando versatus, Neapoli tamen mortuus est anno 1530. Vide editionem operum ejus Cominianam.

SCEGARDIUS LUDOVICUS.

Ludovicus Scegardius Senis natus anno 1670 Italiam omnem fama nominis sui complevit. Cum enim politioribus litteris ab ineunte aetate animum dedisset tantum profecit, ut expectatione quam de eo jam puero omnes susceperant facile superaret. Scientias quoque coluit, sed humanitatem ante alias in deliciis habuit. Cumque graves inimicitias cum Vincentio Gravina suscepisset in illum stomacum rupit. Satyras Quinti Sectani nomine scripsit, ita ut ex Horatio festivitatem ex Persio gravitatem ex Iuvenale acerbitatem irasque mutuasse videatur. Quare a doctis plurimi habitus, et inter feliciores aetatis suae poetas numeratus est. Multa alia tum etrusco, tum latino

sermone edidit. Orationes quoque disertationes epistolasque conscripsit quas typis commisit Lucae anno 1783. Decessit annum agens 66.

STROZZI HERCULES.

Hercules Strozzi origine Florentinus, Ferrariám nobilissimam Aemiliae urbem patriam sortitus est. Hic paterno exemplo motus literis se totum dedit, tantumque excelluit ut inter primos aetatis suae scriptores facile recensendus sit. Floruit doctissimorum hominum familiaritate. Greca, latina vernaculaque lingua adeo praestitit ut nihil supra. Multa de illo supersunt tum poetica tum prosa oratione exarata; et quidem plura haberemus ni dolo nocte intempesta dum domum se recipiebat interemptus imaturo fato concessisset anno 1508.

STROZA TITUS.

Titus Stroza Ioannis filius qui primus gentis suae Florentia discedens patriam sibi Ferrariam elegit, imperante Nicolao III, ut Titus ipse in Elegia - De Florentiae laudibus - testatur.

Hic tenero Vannes majorum haud degener actis
Vagitus primos edidit ore pater.
. . . . ,
Atque ita Ferrariam vix pubescentibus annis
Nicolao Estensi regna tenente petit.

Hic musis mansuetioribus impensissimam operam posuit, optimo usus praeceptore Guarino Veronensi. Magnis functus est in exemplum muneribus, ut ipse de se tradidit, non in elogium sed ut se a calumniae morsu vindicaret.

Nulla magistratus gestos mihi sordida labes
Foedavit, mundasque manus, dum munera curo
Publica, servavi jam quinta messe Tribunus
Bissenisque caput Patribus, Princesque senatus.

Carmina sane politiora reliquit, aliaque multa quibus posteris quam maxime commendatur.

Natus anno circiter MCDXL diem supremum obiit anno MDV.

TINELLIUS ANGELUS MARIA.

Angelus Maria Tinellius Romanus, Patricius Camers. Is bona admodum fortuna usus est: audivit enim doctores optimos inter quos numeramus Lagomarsinios, Mazzolarios, Ambrogios viros, ita vivam ad omnia humanitatis eruditionisque studia quam qui maxime excultos. Quare tantum profecit, ut vix verbis dici possit. Iurisprudentiae praesertim animum applicuit, et opus admodum ingens de legibus, principis auctoritate suscepit, quod tamen auctoris morte impeditum est. Multis muneribus in exemplum functus viridem duxit senectam, exitumque habuit facilem anno 1831, aetatis suae vero 85. Vir multarum disciplinarum, restitutor politioris humanitatis, legum scientissimus, cognitor judiciorum publicorum abstinentissimus, famam in posteris duraturam moribus et scriptis sibi comparavit.

UGONIUS POMPEUS.

Pompeus Ugonius Brixiae natus saeculo decimo sexto floruit. Bonus poeta, optimus orator orationes et carmina nonnulla reliquit quibus tum elegantia latini sermonis tum veneres omnes quam maxime elucent. Ascanius Columna S. R. E. cardinalis litterarum studiorumque omnium praesidium ac decus ejus opera usus est, cumque hominis fidem ingeniumque nosset amplissimae Bibliotecae, quam sibi domi posuerat, praefecit. Ugonii laudes scriptores multi dixerunt ex quibus unicuique attingere fas est. Decedente saeculo supremum diem obivit.

VIDA HIERONYMUS. *

Hieronymus Vida Cremonensis, quem Leo X pont. max. propter virtutem ejus et doctrinam summo in honore habuit, familiae adscriptus Canonicorum Lateranensium Pontificatum Albanum consecutus est. Quum multarum litterarum gloria

floreret, poesim idem maxime adamavit et coluit: nec tamen aut Ecclesiae suae defuit aut patriae, officiis cumulate redditis, quae debebat. Defunctus est Albae V Kal. Oct. an. 1562. Vide editionem poematum ejus Cominionam. Carmina autem bina, quae nondum edita erant, reperies in Cremonensibus monumentis Vairani P. II. p. 36.

VULPIUS JOANNES ANTONIUS.

Joannes Antonius Vulpius Patavii natus anno 1686 ad omne litterarum philosophiaeque genus natus linguae grecae, latinaeque praesertim operam dedit. Et quamquam in omni scientiarum ratione versatus esset, tamen humaniores literas prae ceteris in deliciis habuit. Multa enim in lucem prodiit omnibus latini sermonis munditiis concinnata, inter quae carmina quorum specimen exibemus. Senio confectus cum 80 aetatis suae annum ageret mortuus est. Scriptores multi ejus laudes tradiderunt.

ZAMAGNA BERNARDUS.

Bernardus Zamagna Ragusinus inter primiores societatis Jesu scriptores jure numeratus praeceptoribus praestantissimis usus est. Multa tum ligata, tum soluta oratione conscripsit, quibus bonam sibi famam comparavit. Homeri Odissea ad latinum sermonem Virgilianis, ita vivam, modis ab illo translata est. Quid dicam de Theocriti Mosci Bionis Idiliis, quid de *Navi aeria* de *Eco*. Docti enim aetatis nostrae homines admirati maxime sunt tantam ingenii copiam et vim, ita ut facile dici possit superiori saeculo paucos admodum Zamagnae anteire. Natus anno 1753, obiit anno 1820 aetatis suae vero 67.

ZAMAGNA SAVINUS MARIA.

Savinus Maria Zamagna poeta perelegans superioris saeculi graecis latinisque literis peritissimus, adeo prudentia jurisque scientia praestitit ut maximi fieret a

Tanuccio viro doctissimo, omnibusque iis viris clarissimis qui tunc temporis Neapoli publicis negotiis praeerant. In summa per Europam collegia cooptatus fama praeclarissima vigebat. Multa scripsit quae fato malo adhuc desiderantur. De homine sat dixisse sit Homeri poemata omnia ita memoriae mandasse, ut quum vellet, magna omnium admiratione, repetere posset. Ingravescente aetate patriam concessit, domique rebus publicis praefectus, munus abstinentia summa et prudentia adimplevit; ibique suum diem obiit.

ZAMPIERIUS CAMILLUS. *

Camillus Zampierius Forocorneliensis, summus aevi nostri poeta, idemque optimus paterfamilias et patriae suae quam studiosissimus. Quum principum virorum gratia polleret, quos sibi morum suavitate et animi virtute devinxerat, Deo tamen et sibi ac liberis vixit. Non alia praeter poesim oblectamenta curarum et solatia habuit. Carmina eius dulcia atque jocunda, quae Bassanus in primis atque Robertius ma-

gnis saepe laudibus exornarunt, simul denique omnia Placentiae prolata in lucem sunt an. 1771. Vixit ipse ad an. 1784.

ZANCHIUS BASILIUS. *

Basilius Zanchius Bergomas, Canonicus ordinis Lateranensis, Romae diu versatus, et Bibliothecae Vaticanae post Sabaeum nostrum Custos a Paulo IV. pont. max. renunciatus. Hunc Paullus Manutius poetam summum hominemque non vulgariter eruditum appellat. Obiit in urbe pridie Kal. februarii an. 1560. Videsis editionem operum ejus Bergomensem a Serassio adornatam an. 1747.

ZANOTTUS FRANCISCUS MARIA. *

Franciscus Maria Zanottus Bononiensis optimis aevi nostri poetis non impar, et ab eruditione et doctrina plurimum com-

mendatus. Carmina ejus Florentiae in lucem emissa an. 1734. Robertii autem epistulae ad ipsum, quae volumine ejus quarto leguntur, vel solae declarant, quantus iste vir fuerit. E vivis autem praeclaro exitu obivit an. 1777.

Finis tertii aeque ac postremi voluminis

INDEX.

Hendecasyllaborum Jamborum Anacreonticorum liber I.

Liber II.

Additamentum.

Pisauri die 5 *januarii* 1833.
VIDIT
Pro Illmo et Rmo Episcopo
PHILIPPO MONACELLI
ANTONIUS CAN. COLI
Prof. Dog. Th. in Ven Sem. Pis.
ac Exam. pro-synodalis

Pisauri die 7 *dict.* 1833.
IMPRIMATUR
Fr. PETRUS CAJ. FELETT
Ord. Præd. S. Th. Prof. Inq. Gen. S. Off.